

P. FELICI - E. LIO - P. LUMBRERAS
P. PALAZZINI - I. VISSER

CASUS CONSCIENTIAE

II.

DE CENSURIS

curante P. PALAZZINI

1956

OFFICIUM LIBRI CATHOLICI - CATHOLIC BOOK AGENCY

ROMA — Via del Vaccaro, 5

IMPRIMATUR

Ex Vicariatu Urbis, d. 24 martii 1956

f Aloysius Taglia

Archiepiscopus Caesariensis, Vicesgerens

44482

P R O O E M I U M

Quaestiones morales selectas de censuris, de quibus deliberatum fuit in conventibus quos auspice viro Eminentissimo Clemente Micara, S. II. E. Cardinali, SS. IJ. N. Pii Pp. XII Vicario generali, Romae, ad templum Trinitati Augustae dicatum in honorem S. Apollinaris E. M. habuerunt sacerdotes ex coetu S. Pauli Apostoli a mense novembre 1954 ad iuniiun 1955, hic rursus colligimus, ut solutiones datae non tantum clero Urbis sed clericis lotius orbis inserviant.

Huic opellae coepcrali sunt pluses ex clarissimis censoribus huiusmodi conventuum, qui docent vel docuerunt theologiam moralem in Athenaeis Urbis.

Solutiones in unum collectas habere ne libi, benevole, lector, displiceat !

Petrus Palazzini

Romae. ! innuarii J056

I.

DE CONDICIONIBUS AD CENSURAM INCURRENDAM

Ariminius novis theoriis adlectus de matrimonio tanquam complemento personalitatis sponsi et sponsae, de veritate definitionis tridentinae circa obiectivam superioritatem status verginitatis relate ad statum coniugalem (Sess. XXIV, can. 9) valde dubitat, nec dubium deponit etiam post editam encyclicam «Sacra Virginitas» diei 25 martii 1951.

Accedit ad poenitentiae tribunal, inter alia hoc accusans. Confessarius ipsum haereticum tenet, exclusum ab Ecclesia atque excommunicatione speciali modo Apostolicae Sedi reservata, de qua in can. 2314, affectum.

Quaeritur :

- 1) Quid et quotuplex censura.
- 2) Quaenam requirantur condiciones ad censuram incurrendam.
- 3) An confessarius recte indicaverit et quid in casu.

Solutio

Ad I.,m. Quid et quotuplex censura. — Catholica Ecclesia, utpote societas, hominibus constans, ius sibi vindicat idonea media comparandi ut socialis ordo incolumis servetur adversus opposita conamina, scilicet ut sibi ius vindicat tueri per apta media ordinem socialem contra posibles aggressores. Quod ius, originarium ac independens a qualibet humana potestate, fundat ius poenale ecclesiasticum (cfr. can. 2214 § 1).

Horum specialium mediorum, quae Ecclesia in suo iure poenali praevidet, unum est censura cuius canonica definitio ita exprimitur « poena qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur, donec a contumacia recedens, absolvatur » (can. 2241 § 1).

Si examen instituamus circa terminos definitionis potissimos, quae-
nam sit natura censurae admodum perspiciemus.

In primis dicitur poena. Nunc autem iuxta mentem Ecclesiae (can. 2215) poena concipitur prout «privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem a legitima auctoritate inflictata». Sic censurae quatenus est poena competit munus corrigendi illum, qui delictum patravit, ac proinde can. 2216 § 1 eam vocat poenam medicinalem, videlicet correctivam.

Subiectum porro huiusmodi poenarum est homo baptizatus, subditus nempe Ecclesiae, supra quem Ecclesia valet exercere suam potestatem iuridicam poenalemque. Subiectum vero poenae est homo baptizatus, quando commisit delictum, actum nempe talis naturae ut obiectum haberi possit indicii et, si casus ferat, condemnationis.

Heic valde opportuna evadit distinctio exacta inter peccatum ac delictum, id est inter violationem ordinis moralis qua homo Deo devincitur et violationem ordinis socialis, qua Ecclesiae subiicitur; de qua distinctione vere fundamentali iterum agendum erit in responsione ad secundum punctum, quod spectat necessarias condiciones ut censura incuratur.

Praeter actus delinquentiam, requiritur, iuxta can. 22-11 § 1, contumacia, quae est specifica despectio erga legislationem ecclesiasticam, quam quis scienter et voluntarie praetergreditur, idque vel formaliter, (quando nempe agit praecise ut Ecclesiae legem auctoritatemque contemnat, vel virtualiter quando iniuria quidem fit legi, quae cognoscatur esse contraria actui, quin tamen sit peculiaris contemptus contra Ecclesiasticam auctoritatem.

Censura habet insuper ut obiectum, bona spiritualia, qualia sunt sacramenta vel sacrae functiones, vel bona spiritualia, uti sunt ecclesiastici redditus vel gradus dignitatis, et inde evadit poena spiritualis.

Censura tandem ut terminum vel finem habet delinquentis conversionem ac absolutionem.

Illis praemissis de natura huius particularis poenae, facilius definiri possunt typi seu species, secundum quas censura ipsa infligitur et modi observandi in eadem infligenda.

Can. 2255 § 1 enumerat tres species censurae, excommunicationem, interdictum, suspensionem. Prima sortitur effectum excludendi a communione fidelium (can. 2257 § 1), id est ponit extra societatem ecclesiasticam, secunda secumfert prohibitionem fidelibus factam ne determinatis functionibus sacris intersint (can. 2268 § 1); tertia clericos spectat et excludit ab officiis et beneficiis (can. 2278 § 1).

Pro huiusmodi omnibus speciebus censurae, quamvis characteres suos quaeque gerat, omnino differentes ab aliis, vigent quaedam modalitates applicationis, (prias operae praetium erit examini subiicere J.

Plerumper sicut poena, ita censura potest esse *a iure* vel *ab homine*. Distinctio, quae magni momenti est in definiendis terminis intra quos valet absolvi delinquens, originem repetit a modo, iuxta quem promulgata est poena : quae si praevideatur in legis textu vel praecepti, sive hae sunt leges generales sive sunt particulares, sive intimant poenam latae sive minantur ferendae sententiae, censura est a iure ; quod si poena iit obiectum specialis alicuius praecepti aut sententiae iudicialis condemnatoriae, sicut est casus applicationis vel irrogationis alicuius censurae ferendae sententiae, censura est ab homine reputanda (can. 2217 § 3).

Notandum hic est, praeceptum speciale inlelligi determinatum illum actum iuridicum condemnationis, qui respicit particularem personam, cui superior minitatur sententiam condemnationis, postquam illam monuit de possibilitate ipsius sententiae incurrendae, ita ut locum habeat contumacia, simul ac dicta persona de facto commisit actum delictuosum.

Alia etiam distinctio est attendenda, quae respicit censuram quatenus haec est, in genere, poena, videlicet distinctio inter censuram *latae sententiae* et censuram *ferendae sententiae*, quam nuper innuimus. Prior autem incurritur, ut gracce dicamus, automallice seu ipso facto, quo quis legem transgreditur; altera ut applicetur, exigit iuridicum actum condemnatorium ex parte competentis superioris, qui potest etiam in casu censurae latae sententiae actum iudicarium ponere ; sed talis actus in casu esset simplex declaratio censurae quam quis incurrisset, non condemnatio.

Censurae possunt insuper esse *reservatae* vel *non reservatae*, quarum hoc est discrimen, quod ad concedendam absolutionem a non reservatis non requiruntur peculiare vel speciale facultates ; ad absolvendum vero a reservatis opus est recursus ad auctoritatem, quae infligit censuram quaeque sibi reservat ius ab ea absolvendi vel secus (can. 2245), sive agitur de censuris reservatis ab homine, sive de censuris reservatis a iure. Quae ultimae reservatae sunt vel Ordinario vel Apostolicae Sedi.

Apostolicae enim Sedi competii (can. 2215 § 3) reservatio determinatarum censurarum, diversis gradibus reservatae nimirum sunt cen-

1 F. M. Cappello, *De censuris*, Torino-Roma 1933, pagg. 1-5, 6-7.

surae, aliae simpliciter, aliae speciali modo, aliae specialissimo modo, aliae demum 'personaliter' Romano Pontifici pro maiore vel minore gravitate vinculi reservationis, et consequenter pro maiore vel minore facilitate concedendae absolutionis.

Distinguendum denique est inter censuram *publicam* ac *occullam* iuxta similem distinctionem inter delictum publicum atque occultum delictum.

In particulari distingui possunt: delictum publicum quod habetur quando factispecies vel iam vulgata est vel facile vulgari potest; delictum notum notorietate iuris, quod habetur post sententiam iudicis in materia, quae transierit in rem indicatam, vel post confessionem iudiciariam delinquentis; delictum notum notorietate facti, si factispecies vel est nota vel talibus versatur in circumstantiis ut celari non possit, neque in terminis iuris excusari; delictum occultum vel materialiter, si nempe ignoretur factispecies vel formaliter, si non possit definiri imputabilitas.

Ad Illud. Quaenam condiciones requiruntur ad censuram incurrendam? — Can. 2242 praebet elementa sufficientia ad respondendum secundae casus nostri interrogationi. In eo enim legitur «censura punitur tantummodo delictum externum, grave, consummatum, cum contumacia coniunctum». Videamus per singula.

Obiectum censurae est delictum, idque solum; porro delictum, secundum ius Ecclesiae, est externa violatio et moraliter imputabilis alicuius legis, cui adnexa sit sanctio canonica, modo saltem indeterminato (can. 2105 § 1).

Notio igitur delicti apprime distinguitur a notione peccati, ut iam vidimus: illam tamen praesupponit, addendo notam exterioritatis et relationem ad aliquam legem Ecclesiae, munitam sanctione contra eventuales transgressores. Optimo ergo iure can. 2212 instat super aspectum externum delicti, ut excludat eventuales censurabilitatem actuum internorum, qui sunt manentque peccata, at non sunt delicta. Quo sub aspectu non sunt confundenda delictum occultum ac internum, hoc autem est semper et solum internum, peccatum non delictum.

Tertio loco canon recensitus exigit actus delictuosi gravitatem, eandemque in foro sive interno sive externo.

Censura quippe est gravior poena quam ut exigi non debeat culpa itidem gravis, ut iustilicetur eius inlicitio. Quae gravitas mensurabitur pro obiectiva gravitate legis violatae, pro actus maiore vel minore imputabilitate, damnorum entitale, pro circumstantiis.

Causae excusantes valent etiam pro censuris, et si in foro externo possunt probari, valent etiam in foro interno.

Insuper delictum debet esse consummatum, id est de facto patratum, (pii ad incurrendam poenam, delictum debet esse in suo genere perfectum, secundum proprietatem verborum legis » (can 2228).

Conatus ergo delicti aut delictum frustratum non sunt causa censurae. Requiritur denique, ut delictum contumaciae uniatur. Quid intelligatur nomine contumaciae, iam diximus supra.

Hic animadvertere sufficiat ad censuras latae sententiae quod attinet, haberi contumaciam in ipsa transgressione legis aut praecepti, cui adnectitur poena latae sententiae, iuxta can. 2212 § 2. Sufficit proinde sola contumacia virtualis.

Ad IIIum. An confessarius recte iudicauerit et quid in casu. — Solutio casus peculiaris nobis propositi a responsione dependet, quae danda est duabus interrogationibus :

1) Sacerdos de quo agitur, dubitans de veritate propositionis Lridentinae, quae tenet statum virginitatis praestare obiective super statum coniugalem estne haereticus habendus ?

2) Si talis haberi debeat, estne ita haereticus ut incurrat excommunicationem haereticis ipso facto statutam in can. 2311 et speciali modo Sanctae Sedi reservatam ?

Responsio porro non est tam facilis ut prima facie videri possit, et exigit ut discutiantur quaedam principii quaestiones, praeterquam elementa facti.

In primis quid intelligi debet nomine haeretici? Habemus quidem definitionem c. j. c. in can. 1325 § 2, ubi legitur haeticum habendum esse illum, (pii post receptum baptismum, nomen retinens Christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina ac catholica credendis denegat, aut de ea dubitat . Statim observare volumus acquipollentiam dubii ac negationis ad effectum attributionis nominis haeretici, quod dicendum erit ergo sive de eo qui negat veritatem fidei, sive de eo (pii solum concipiet grave ac culpabile dubium.

Quasnam notas autem praesferre debet aliqua veritas ut eius negatio vel dubium de ea constituat causam haereseos ? Secundum can. 1323 § 1 fide divina catholicaque ea omnia sunt credenda quae continentur in Sacra Scriptura et in Traditione, sicut etiam ea omnia quae Ecclesia credenda proponit tanquam a Deo revelata, sive sollemniter ea definiendo, sive eas enuntians universali et ordinario magisterio.

Idem canon in 2 paragraphe notat definitionem solemnem compe-

tere Concilio Oecumenico et Summo Pontifici, quando loquitur 'ex cathedra'. Tertia paragraphus addidit «declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur, nisi id manifeste constiterit».

Nunc autem quaerimus: veritas asserens primatum status virginitatis super statum matrimonialem gaudetne his notis? Quod si huiusmodi nolis instruat, manifestene id constat? Hoc idem est ac quaerere utrum sacerdos de quo in casu sit haereticus necne.

Excellentia virginitatis prout est 'status' per se super statum matrimonialem est, in primis veritas revelata in S. Scriptura et praesertim in Mal. 19.10 ss. (Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est »; « qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum »), saltem est * directe virtualiter revelata '.

Maior perfectio castitatis perfectae super vitam conjugalem deducitur ab exhortatione 1). N. .1. Christi eam amplectendi « propter regnum coelorum »; et in 1 ad Cor. 7, 1-10, ut directe explicite revelata («et qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, et qui non iungit melius facit »).

Quae veritas insuper est in Traditione contenta, secundum testimonia Tertulliani 2. Ambrosii (*De virginitate*), Augustini, Hieronymi, Gregorii Nazianzeni et Gregorii Nysseni.

Et dein est veritas sollemniter ab Ecclesia definita. Can 10 Sess. XXIV Cone. Tridentini sancit hanc condemnationem :

«Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel coelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut coelibata, quam iungi matrimonio, a. s.».

Quam veritatem demum etiam nuper contra novos insurgentes errores vel lendentias magisterium ordinarium et universale Ecclesiae defendit. Pius IX in Litt. Apostolicis d. 10 iunii 1851 *Multiplices inter* (1)enz. V. 1771 a) damnavit sententiam Francisci a Paula Vigil, qui novatorum more anteponebat statum conjugalem statui virginitatis. Pius XII, Litt. enc. * *Sacra virginitas* d. 25 martii 1951, traditionalem Ecclesiae doctrinam de hac re repetebat, vindicans eius divinam revelationem, praesentiam in Traditione, definitiones conciliares, adhaesionem quam ipsa ratio nequit non dare, contra doctrinae a recto tramite flexiones et practicos mores suspectos, quae ultimis temporibus irrepserant.

' Cfr. V. Heylen, *De matrimonio*, Mechliniac 1945, pag. 153.

* *Ado. Mandonem*, 1, 29: P. L. 41, 280.

Concludamus igitur: Dubium sacerdotis in casu habet omnes characteres obiectivos ut mereatur notam haereseos; et attentis omnibus notis propriis illius veritatis et non adstantibus causis excusantibus aut imminuentibus in dubio, hoc ultimum dicendum est haeresis formalis. At sacerdos ille incurritne ipso facto excommunicationem speciali modo reservatam sicut credidit illi significandum esse confessarius?

Hic opus est alius generis consideratione: oportet enim determinare utrum dubium et haeresis subiecti sint delictum, in rigore termini, cum omnibus proprietatibus nimirum (piae requiruntur ut actus humanus sit delictum, an vero non praetergrediantur ambitum peccati.

Agitur absque ullo dubio de peccato haereseos, et quidem gravi, ut patet ex omnibus hactenus dictis. Subieclum enim in casu, cum maneat, sciens ac volens, in dubio negativo de veritate, quam novit pertinere ad fidem revelatam et definitam, detrectans assensum magisterio ordinario, grave peccatum committit formalis haereseos.

Notavimus autem supra opus esse accurata distinctione inter peccatum ac delictum: quod si omne delictum implicat peccatum, non necessario omne peccatum est etiam delictum. Ut hoc sit, necesse est ut actus peccaminosus sit externus, et violet aliquam legem, cui Ecclesia adiunxerit particularem censuram. Aliis verbis actus delictuosus talis evadit, quia violat ordinem sociale, quem luetur legislatio canonica, conans infringere vinculum externum, visibile, ut ita dicam, ex iis quae constituunt aedificium sociale, humanum atque iuridicum Ecclesiae.

Dubium, quo noster laborat, non videtur habere characteres actus externi, ideoque non potest dici delictum. Non videtur habere, quia non manifestatur externe, nec modo explicito nec implicito, nec palam nec clam, manetque in sphaera conscientiae, intra quam adhuc manet etiam post confessionem ab eo institutam. Confessarius, valde probabiliter erravit, arbitratus poenitentem suum excommunicatione speciali modo reservata irretitum esse.

Debebat itaque potius adlaborare ut poenitens a propriis opinionibus recederet, suam sententiam conformando effectivae veritati revelatae et documentis pontificiis circa illam materiam.

Debebat insuper niti ut poenitens actum abiurationis eliceret ab haeresi cui usque modo adhaeserat et professionem fidei — in foro sacramentali — emitteret.

Quibus positus, nihil aliud faciendum fuerat, (piam sacramentalis absolutio impertienda.

Pet r u s P a l a z z i n i.

II.

DE CAUSIS A CENSURA EXCUSANTIBUS

Orosius, in parochum iratus, qui, ingravescentibus luctis politicis, publico sermone edixerat non licere suffragium dare factioni Monarchicae, cui ille erat addictissimus, extra ecclesiam, palam dixit: « Non amplius credam quae religio catholica docet, quia sacerdotes alienum agrum usurpant, cum ad ipsos non pertineat quaestiones politicas dirimere ».

Confessionem vero instituens, interrogatus a confessario an sciverit hoc peccatum esse Apostolicae Sedi reservatum, respondit: « Sed non memini an tunc ad censuram attenderim vel non ».

Hisce auditis, confessarius, putans Orosium censuram non incurrisse, absolvit.

Queritur :

- 1) An et quaenam ignorantia vel inadvertentia a censura excuset ;
- 2) An confessarius recte se gesserit ;
- 3) Quatenus negative, ad quid nunc ipse teneatur.

Solutio

Ad Iⁿⁱ. Quattuor sunt declaranda: A) Quae et quotuplex ignorantia ; B) Quae et quotuplex inadvertentia; C) Quae ignorantia excuset a censura ; et /)) Quae inadvertentia excuset a censura.

1) Ignorantia opponitur scientiae; si quidem privative, carentia scientiae debita dicitur ignorantia proprie; si vero contrarie, falsum indicium mentis error nuncupatur.

Ignorantia distinguitur : a) ex parte obiecti, ignorantia iuris — ut si quis ignorat lectionem libri haeresim propugnantis et ab haeretico conscripti esse vetitam aut poena ecclesiastica sancitam —, et facti

— ut si quis ignorat librum propugnans haeresim quem legit esse ab haeretico conscriptum — ; *b)* ex parte intellectus, ignorantia habitualis — si incst instar habitus —, et actualis — si quod quis habitualiter scit non advertit actu, vel quod habitualiter novit non recordatur actu — ; et *c)* ex parte voluntatis, ignorantia antecedens — quae non est volita, causa tamen actus ; v. gr., penes eum qui putans occidere cervum occidit amicum, quem non occideret si amicum noverit —, concomitans — (piae neque est volita neque est causa actus ; v. gr., penes eum qui, putans occidere cervum occidit inimicum, quem occideret quoque si inimicum sciret —, et consequens — quae est volita et est causa actus.

Haec postrema dividitur in ignorantiam directe volitam seu affectatam — quam quis vult ut effrenate agat absque scrupulo, ut excusationem habeat a peccato poenave peccati etc. —, et indirecte volitam seu volitam in causa — in omissione nempe diligentiae debitae, seu quam prudentes et timorati adhibent in negotio quod agitur.

Haec altera distinguitur crassa vel supina — si nulla aut vix ulla fuit diligentia adhibita —, atque simplex, sit ipsa gravis — si diligentia adhibita fuit notabiliter insufficiens — aut levis — si diligentia adhibita, quantumvis insufficiens, non tamen notabiliter

Ii) Si rei habitualiter nolae non recordamur, patimur oblivionem. Si autem ad rem habitualiter notam non advertimus actu, habemus inadvertentiam ; quae propterea nominat defectum actualis considerationis sive cogitationis sive attentionis, attentionis videlicet ad legem sive poenam — inadvertentia iuris — vel ad factum — inadvertentia facti — ; attentionis quoque defectum sive non volitum, causam tamen actus — inadvertentia antecedens —, sive non volitum sed neque causam actus — inadvertentia concomitans —, sive volitum et causam actus — inadvertentia consequens —, sit volitus directe seu in se si quis vult non attendere, v. gr. ut vitet scrupulum vel excusetur a poena — aut indirecte seu in causa — si voluit passionem sequi quam novit aut suspicatus est tollere advertentiam, si non retractavit habitum (pio sciebat perducere inadvertenter, si neglexit apponere diligentiam debitam.

C) Ex. can. 221.8 § 2: «Non solum quae ab omni imputabilitate excusant, sed etiam (piae a gravi, excusant pariter a qualibet poena

1 Olim disputabatur num (ictur ignorantia gravis, seu graviter culpabilis, quae non sit crassa vel supina. Ex can. 2218 § 2 et 2229 § 3 admittenda est ignorantia gravis quamvis simplex.

tum latae tum ferendae sententiae». Igitur ignorantia antecedens, concomitans, immo et consequens levis, excusat a censura.

Ex can. 2229: α§ 1. A nullis latae sententiae poenis ignorantia affectata sive legis sive solius poenae excusat, licet lex verba de quibus in § 2 contineat. — § 2. Si lex habeat verba : *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit* aliave similia quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a poenis latae sententiae. — § 3. Si lex verba illa non habeat : 1°. Ignorantia legis aut etiam solius poenae, si fuerit crassa vel supina, a nulla poena latae sententiae eximit ; si non fuerit crassa vel supina, excusat a medicinalibus, non autem a vindicativis latae sententiae poenis ». Ignorantia, quapropter, affectata a nulla censura latae sententiae excusat ; alia quaelibet ignorantia excusat a censuris latis in praesumentes, scienter etc. agentes : a ceteris non excusat ignorantia crassa vel supina, sed excusat ignorantia simplex, quamvis gravis.

D) Ex can. 2202 § 3 : « Quae de ignorantia statuuntur, valent quoque de inadvertentia et errore ».

Inadvertentia igitur, sive legis sive solius poenae : *a)* si affectata sil, non excusat a censuris latae sententiae ; *b)* si vero non sit affectata, excusat quidem, quantumcumque crassa vel supina, a censuris latis in praesumentes, scienter etc. agentes ; a ceteris autem quae crassa vel supina non sil, simplex scilicet tametsi gravis.

Ad II''''. — Verba, quae palam extra ecclesiam Orosius protulit, sonant defectionem plenam a fide. Si quod exterius proferebat erat signum interioris animi, si ipse, videlicet, denegavit (tunc saltem temporis) assensum iis quae religio Christiana docet, habemus apostasiam, internam et externam, quae punitur in iure excommunicatione latae sententiae specialiter reservata Sedi Apostolicae¹.

Ab hac poena incurrenda excusat, ex praedictis, ignorantia vel inadvertentia sive legis sive solius poenae¹, dummodo fuerit simplex, quamvis gravis ; non tamen excusat affectata, nec crassa seu supina.

¹ « Quincis a Christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici incurrunt ipso facto excommunicationem... Absolutio ab excommunicatione de qua in § 1, in foro conscientiae impertienda, est speciali modo Sedi Apostolicae reservata » (can. 2311, § 1 n. 1 et § 2).

^s · Excusans ignorantia refertur ad censuram qua talem, minime vero ad ipsius censurae severitatem, quae potest esse reservata vel non . . . Non censetur ignorare censuram qui confuso modo novit peccato adiunctam esse quandam poenalem sanctionem ecclesiasticam” (Vermeersch, //i. mor., III, 908).

In casu nosro Orosius non excusatur ignorantia ; verum invocat inadvertentiam.

Non est probabile inadvertentiam hanc fuisse, cum peccavit, affectatam, nam et ira negligil industriam | et illorum quae studiose egit facile quisque recordatur. Nec est probabile ipsam fuisse crassam vel supinam, quoniam verba prolata fuerunt inexpectata certe occasione - et dum in corde fervebat ira in parochum, qui, ingravescentibus luctis politicis, mox in factionem Monarchicam invexerat. Inadvertentia igitur Orosii, cum fuerit simplex, hunc excusavit a censura 3.

Verum etiamsi fuerit crassa vel supina, immo et affectata, Orosius confessionem instituens non amplius recordatur an tunc ad censuram attenderit vel non. Dubitat ergo paenitens an habuerit illam adverlentiam quae ad censuram incurrendam requirebatur. Dubium est igitur num censuram incurrerit. Ipse propterea non tenetur censuram observare *, « et in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget (can. 2245 § 4).

Quapropter confessarius, licet incongrue interrogaverit de notitia

* Ad verbum Philosophi (iracundus non esi insidiator, sed manifestus (7 Ethic.), D. Thomas : Iracundus dicitur esse manifestus, non quia manifestum sil sibi quid facere debeat : sed quia manifeste operatur, non quaerens aliquam occultationem. Quod partim contingit propter impedimentum rationis, quae non potest discernere quid sit occultandum et quid manifestandum, nec etiam excogitare occultandi vias...» (*Summa Thcol.*, 1-11, -18, 3, ad 2).

2 Qui festa vel iciunia non servant ex ignorantia, eo quod de iis cognoscendis parum solliciti esse *solent*, non excusantur a peccato, quia eorum negligencia est vincibilis. Si vero de occurrenti festo vel ieunio nihil suspicantes, ordinaria cognoscendi media una alterave hebdomade omittunt, a peccato excusantur, quia tali omissione in requisita diligentia non defecerunt, et proin ignorantia non est vincibilis (*Marc, Inst. mor. Alph.*, cd. 18, 1, 289).

3 Putat Teodori inadvertentiam simplicem in casu non fuisse graviter culpabilem, » nam quae verba Titius protulit, in irae impetu dixit, forsan, saltem videtur, omnem mentis advertentium praeveniente, prout frequenter similibus in casibus contingit (in *Apollinaris*, 2 [1929], pag. 32*1). I. Thomas, attamen : « Blasphemia potest absque deliberatione ex subreptione procedere dupliciter. Uno modo, quod aliquis non advertat hoc quod dicit esse blasphemiam. Quod potest contingere cum aliquis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat. Et tunc est peccatum veniale: et non habet proprie rationem blasphemiae. Alio modo, quando advertit hoc esse blasphemiam, considerans significata verborum. Et tunc non excusatur a peccato mortali : sicut nec ille qui ex subito motu irae aliquem occidit iuxta se sedentem » (*Summa Theol.*, II-II, 13, 2. ad 3). Non potest dici subitus motus infidelitatis vel dubitationis qui etiam in verba prorumpit» (7 *de malo*, 7, ad 13).

4 Eadem benignitate eundem casum absolvunt Ferreres (*Casus conscientiae*. ed. 1926, II. 1293): « iuxta can. 2232 § 1, nemo tenetur censuram observare nisi delicti sit conscius », et Teodori (in *Apollinaris*, 2 [1929], pag. 321): « nec quis tenetur censuram observare nisi delicti sit conscius ».

reservationis ', cum debuisset potius interrogare num paenitens sciverit adnexam suo peccato poenam aliquam ecclesiasticam, et licet propere indicaverit Orosium non incurrisse censuram, recte tamen se gessit dum hunc absolvit.

Ad — Provisum in secundo.

Petrus Lumbreas, O. P.

' · Cum reservatio non sit poena, etiam peccatum seu censura illius qui reservationem ignorat reservaturi (Vermeersch, *Theol. mor.*, III, 908).

III.

DE EXCOMMUNICATIONE

Orontius suae habitationi finitimum habet orphanotrophium auctoritati ecclesiasticae subiectum, cuius praeses ex ipsa foundationis lege est Episcopus suae dioecesis.

Cum administratores orphanotrophii in aedificio amplificando legis praescripta de intervallo inter aedilicia, ad normam legis italicae servando, non servassent, Orontius, frustra compositionem expertus, orphanotrophium in indicium civile vocat.

Admonitus ab orphanotrophii administratoribus se excommunicationem speciali modo reservatam incurrisse ad normam can. 12311 et e munere Praesidis Confraternitatis a SS.mo Rosario in sua paroecia decedisse, cum citando orphanotrophium, de facto Episcopum ipsum in indicium vocasset, confessarium adiit, a quo, antequam confessionem instituat, lumen petit.

Quaeritur :

- 1) Quid sit excommunicatio et quinam sint excommunicationis effectus.
- 2) An incurrantur poenae ob violationem privilegii fori, etiam respectu personarum moralium.
- 3) Quid ad casum.

Solutio

Ad Ium. — Excommunicatio, quae est inter censuras gravissima, iuxta can. 2257 § 1 : « est censura qua quis excluditur a communione fidelium cum effectibus qui in canonibus, qui sequuntur, enumerantur, quique separari nequeunt ». Si excommunicatio infligitur cum solemnitatibus in Pontificali Romano descriptis, dicitur quoque *anathema*.

Communicatio, a qua excommunicatus excluditur, non est commu-

nicalio pure interna, quae scilicet profluit e gratia sanctificanti omnes fideles in unum corpus mysticum colligenti, sed est communicatio in iis bonis quae ab Ecclesiae potestate et voluntate dependent et prope diem explicabuntur, cum de effectibus excommunicationis.

Cum ecclesia habeat potestatem indirectam in res civiles, propter gravem necessitatem et intra limites suae potestatis ius habet privandi excommunicatum ipsis iuribus civilibus, quamvis id plerumque non faciat.

Antiquo iure dabatur distinctio inter excommunicationem maiorem et minorem, iuxta gravitatem delicti et effectuum: quinimmo ante Martinum V omnes excommunicati maiores erant ipso iure vitandi. Martinus V per Const. *Ad evitanda* anni 1418 severitatem mitigavit, ita ut non omnes excommunicati maiores essent eo ipso vitandi.

Iure quo utimur non solum distinctio inter excommunicationem maiorem et minorem sublata est, sed *vitandi* sunt tantum qui vel violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerunt (can. 2343 § 1, n. 1) vel nominatim sint excommunicati a Sede Apostolica et tanquam vitandi sint publice denunciati (can. 2258 § 2). Ceteri sunt *tolerati*.

Anathema maranatha (ex verbo syriaco quod significat: *Dominus venit*) de quo plura dicebat Benedictus XIV¹ quodque non nisi in articulo mortis communiter absolvebatur, est res ad historiam pertinens, hodie prorsus obsoleta.

Excommunicatis nostro iure districte vetatur:

1) *adsistere officiis divinis* (excepta tamen praedicatione). Distinguenda tamen est adsistentia activa, cum participatione nempe activa ad ritum sacrum, ab adsistentia passiva. Adsistentia activa prohibetur quibuslibet excommunicatis, sive vitandis, sive toleratis (bis tamen, si notorii): adsistentia vero passiva unis vitandis prohibetur: qui si nequeant arceri, neque grave obstat incommodum, officia divina sunt suspendenda (can. 2259).

2) *sacramenta recipere*, et post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam ipsa *sacramentalia* (can. 2260 § 1).

3) *habere sepulturam ecclesiasticam*, ubi tamen lata fuerit sententia declaratoria vel condemnatoria, neque ante mortem, iuxta can. 1210 § 1, n. 2, aliqua dederint poenitentiae signa (can. 2260 § 2).

4) *conficere et administrare sacramenta et sacramentalia*. Attamen fideles possunt iusta de causa petere ab excommunicato (quin sil vi-

¹ *De syn. dioeces.*, l. 10, c. 1, n. 7.

landus vel toleratus post sententiam decl. vel condemn.) sacramenta et sacramentalia, et excommunicatus potest, quin motiva petitionis percontetur, petentibus satis facere. Excommunicatus vitandus vel toleratus post sententiam, de qua supra, id unum possunt, absolutio- nem impertiri fidei in periculo mortis constituto qui eam petat, vel etiam, absentibus aliis sacerdotibus, alia sacramenta et sacramentalia eidem fidei administrare (can. 2261).

5) *participare indulgentias, suffragia publicasque Ecclesiae preces.* Possunt nihilominus fideles orare privatim pro excommunicato: et sacerdotes pro eodem applicare Missam, remoto tamen scandalo, et si agatur de vitando, solum pro eius conversione (can. 2262).

6) *quamlibet legitimam activitatem ecclesiasticam exercere,* intra limites per Codicem statutos. Nequit igitur excommunicatus agere in causis ecclesiasticis, nisi ad normam can. 1651: nequit officium aliave ecclesiastica munera obire: nequit privilegio iam concesso perfrui etc. (can. 2263).

7) *ecclesiasticam iurisdictionem exercere,* ita ut actus iurisdictionis positus sive in foro interno sive in foro externo evadat semper *illicitus* (excipe, iuxta can. 2261 § 2, administrationem sacramentorum fidelibus petentibus, de qua sub n. 1), et si positus sit a vitando vel tolerato post sent. decl. vel condemn, etiam *invalidus* (excipe pariter quae sub η. I diximus) iuxta can. 2261.

8) *ius habere electionis, praesentationis et nominationis, necnon consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas: denique ad ss. ordines promoveri.* Quod tamen spectat ius et consequutionem dignitatum, de quibus supra, actus invalidus et nullus non erit, nisi post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam: quinimo in hoc casu excommunicatus fit incapax cuiuslibet gratiae pontificiae, et gratia forte concessa nullius valens est, nisi in rescripto fiat expressa mentio excommunicationis (can. 2265).

9) post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam *participare fructus* dignitatis, officii, beneficii, pensionis ecclesiasticae, muneris ecclesiastici, quibus momento excommunicationis forte gaudebat: excommunicatus vitandus amittit insuper ipso facto dignitatem, officium etc. (can. 2266).

10) denique excommunicato vitando *communione habere etiam in prophanis cum aliis fidelibus,* nisi tamen iusta et rationabilis causa excuset (can. 2267).

Praeter hos effectus, (pii *immediati* dici possunt et sub cann. 2258-2267 comprehenduntur, excommunicatio habet tanquam effectus *me-*

dialos : irregularitatem pro clericis excommunicatis, qui exercent actum sacri ordinis (non tamen minoris) can. 985, n. 7 : et *suspicionem haeresis* pro excommunicatis vitandis vel toleratis post sententiam declac. vel condemn, qui per annum in excommunicatione insordescant (can. 2310 § 1).

lure canonico vigenti, vi can. G, η. 5, eae tantum excommunicationes existunt, de quibus iit in Codice expressa mentio.

Sedi Apostolicae specialissimo modo reservantur excommunicationes latae in prophanalores Specierum Sacrarum (can. 2320), in illicientes violentas manus in personam Romani Pontificis (can. 2313 § 1), in absolventes vel lingentes absolvere complicem in peccato turpi (can. 23G7), tandem in sacerdotes praesumentes directe violare sacramentale sigillum (can. 2369). Ilis accenseri potest excommunicatio lata in sacerdotem qui ausus sil attentare matrimonium civile, quod dicitur '.

Excommunicationes S. Sedi speciali modo reservatae continentur in cann. 2311 § 1, 2318 § 1, 2322, 2332, 2333, 2331, 2341, 2343 § 2, 3, 2315, 2360, 2363 : reservatae vero simpliciter Sanctae Sedi in cano-nibus 2327, 2335, 2338 § 1, 2, 2341, 2312, 2316, 2351, 2388 § 1, 2392, 2105. Ordinario reservantur excommunicationes de quibus in cann. 2319, 2326, 2313 § I, 2350 § 1, 2388 § 2; denique nemini sunt reser-vatae excommunicationes canonum 2318 § 2, 2339, 2317 § 3, 2352, 2368 § 2.

Legislator peculiaribus poenis plectit eos qui communionem cum excommunicato dolose retinent ; et quidem : a) excommunicatione latae sententiae Sanctae Sedi simpliciter reservata impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicio propter quod excommunicatus fuerit : itemque clericos scienter et sponte cum eodem in divinis communicantes ipsumque in divinis officiis recipientes (can. 2338 § 2) ; n) interdicto ab ingressu ecclesia admittentes ad celebranda divina officia per censuram vetita clericos excommunicatos post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam (can 2338 § 3) ; c) excom-municatione latae sententiae nemini reservata eos qui ausi fuerint mandare vel cogere tradi ecclesiasticae sepulturae excommunicatos contra praescriptum can. 1210 § 1 (can. 2339). Li vero qui iisdem excommunicatis sponte dant sepulturam ecclesiasticam contrahunt interdictum ab ingressu ecclesiae, Ordinario reservatum (can. 2339).

' VI ex decr. S. Paenitenliariae d. 18 ap. 1936 et I mat 1937 (AAS XXVIII 1936. pag. 212; XXIX. 1937, pag. 283).

Ad II^{am}. — Recitat can. 120 C. I. C. : «§ 1. Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit § 2. Patres Cardinales, Legati Sedis Apostolicae, Episcopi etiam titulares, Abbates et Praelati nullius, supremi religionum iuris pontificii Superiores, Officiales maiores Romanae Curiae, ob negotia ad ipsorum munus pertinentia, apud iudicem laicum conveniri nequeunt sine venia Sedis Apostolicae ; ceteri privilegio fori gaudentes, sine venia Ordinarii loci in quo causa peragatur; quam tamen licentiam Ordinarius, praesertim cum actor est laicus, ne deneget sine iusta et gravi causa, tum maxime cum controversiae inter partes componendae frustra operam dederit. §3. Si nihilominus ab eo, qui nullam praehabuerit veniam, conveniantur, possunt, ratione necessitatis, ad vitanda maiora mala comparere, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit .

Hoc quidem canone firmatur, iuxta doctrinam et praxim ecclesiae et contra prop. 31 damnatam per Syllabum a Pio IX 2, privilegium fori, et consulitur tum dignitati status clericalis et religiosi tum decori et reverentiae debitae auctoritati qua ipsi soli plerumque investiuntur.

Qui autem huiusmodi privilegium violaverint, plectuntur poenis statutis in can. 2341: «Si quis contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium, contrahit ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ; si alium Episcopum etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum nullius, vel aliquem ex supremis religionum iuris pontificii Superioribus, excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam ; demum si, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam privilegio fori fruentem, clericus quidem

¹ Peculiares provisiones generales Hunt plerumque in Concordatis. Ita v. gr. in, art. 8 Cone. S. Sedis cum Italia (11 febr. 1929): « Nel caso di deferimento al magistrato di un ecclesiastico o di un religioso per delitto, il Procuratore del Re deve informare immediatamente l'ordinario della diocesi nel cui territorio egli eserciti giurisdizione ; e deve sollecitamente trasmettere di ufficio la decisione istruttoria e, ove abbia luogo, la sentenza definitiva del giudizio tanto in primo grado come in appello.

In caso di arresto, l'ecclesiastico o il religioso è trattato coi riguardi dovuti al suo stato ed al suo grado gerarchico. Nel caso di condanna di un ecclesiastico o di un religioso, la pena è scontata possibilmente in locali separati da quelli destinati ai laici, a meno che l'ordinario competente non abbia ridotto il condannato allo stato laicale ».

³ « Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis, sive civilibus sive criminalibus, omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede ».

incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario, laicus autem congruis poenis pro gravitate culpae a proprio Ordinario puniatur ». Circa hos canones haec observanda veniunt: a) Delictum committit qui, sine venia auctoritatis ecclesiasticae competentis, trahit ad iudicem saecularem aliquem clericum tanquam *reum*, non itaque tanquam testem, qui perperam diceretur ad iudicem trahi, b) Dictum est, « ad iudicem » itaque non committit delictum qui trahit clericum ad aliam publicam auctoritatem civilem, quae scilicet munere indicandi non fungatur, c) Poenam non incurrit neque index neque eius administrari, si ad indicandos clericos legis civilis imperio adigantur: versantur enim in necessitate faciendi neque res est intrinsece mala, d) Iuxta praevalentem hodie sententiam, ad habendum delictum clericus trahi debet suo nomine et in propria persona (est enim privilegium constitutum ad tuendam dignitatem status clericalis), non itaque tanquam procurator vel tutor laici, vel administrator rei laicalis aut entis iudici, cui tamen privilegium fori non competat¹. Si vero clericus trahitur non in sua persona sed in suis decretis vel actibus, aliud delictum habetur, de quo in can. 2333-2334 non vero violatio privilegii fori, e) Uniusmodi delictum consummatum habetur independentem a sententia iudicis laici, dummodo revera ad iudicem laicum clericus ausu temerario tractus sit.

Ad Illud. — Oronius ad iudicem laicum traxit Orphanotrophium, quod certe non gaudet privilegio fori, licet pia fundatio habenda sit, licet Episcopum tanquam curatorem vel administratorem habeat. Episcopus autem in iudicium tractus est neque suo nomine neque in sua persona, sed tanquam rapraesentans Orphanotrophium. Nulla itaque in episcopum (pia talem iniuria: nulla proinde, iuxta superius exposita, contracta excommunicatio.

Decedente Oronio a munere Praesidis Confraternitatis a SS.mo Kosario? Sola excommunicationis ratione perspecta, in quam, uti diximus, Oronius non incurrit, negative respondendum est.

Pericles Felici

¹ Cfr. Cappelletti, *Ius poenale*, 74; Matthaeus a Coronata, *Insl.* IV, 1973; Noldin-Schiönegger, *TA. nr. 68*; Wernz-Vidal, *Ius can.* VII, 153 etc.

IV.

DE SUSPENSIONIS CENSURA

Aelius, parochus, post suspensionem a divinis incursum ob pictoricae visitationem artis, cuius accessum Ordinarius loci propter quasdam imagines impudicas ac obscenas sub poena suspensionis, ipso facto incurrendae et sibi reservatae, vetuerat, urgente necessitate munere suo fungendi, Missam celebravit et sacramenta ministravit, antequam confessionem institueret. Qua re dubitat an factus sit irregularis (can. 985 n. 7).

Jovinianus canonista, cui rem detulerat, negative respondet sive quia ob periculum infamiae censuram observare non tenebatur (can. 2232 § 1), sive quia rogatus a fidelibus licite potuit sacramenta ministrare et proprio munere fungi (can. 2281, 2261 § 2). Namque, addit, irregularitas non incurritur nisi ob peccata gravia externa.

Quaeritur :

- 1) Quid et quotuplex suspensionis censura.
- 2) Quinam effectus.
- 3) Quid ad casum.

Solutio

Ad 1^{am}. — Solutio iuxta can. 2278 § 1 est «censura qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur». Clare tamen patet ex can. 2255 § 2 et 2298 eam intelligi posse etiam ut poenam vindicativam. Cum autem in casu proposito unice tractetur de censura, de suspensione vindicativa nullum verbum faciemus.

Uti iam apparet ex ipsa definitione, suspensio est poena solis clericis applicabilis, privans iuribus quae solis clericis sunt propria. Ab excommunicatione differt non solum in quantum ista etiam laicis intelligi po-

test, sed etiam et praesertim in quantum effectus istius multo latius se extendunt: dum enim excommunicatio excludat ab omni communionem fidelium (can. 2257 § 1) ac consequenter privet a quocumque iure et participatione spirituali de bonis Ecclesiae, suspensio istam communionem non interrumpit, sed tollit solummodo exercitium ecclesiasticae potestatis quae clerico competebat.

Quamvis ideo minor quam excommunicatio, gravissima tamen semper est poena et non nisi propter notabile delictum est infligendum; imo vi can. 2218 § 2 gravis peccati impulabilitas requiritur, ut poena tum in foro externo tum interno teneat. Gravitas autem legis violationis constitui potest sive ratione ipsius actus in se considerati sive ratione scandali exterioris. In casu proposito Ordinarii loci erit grave munus indicare, utrum propter « quasdam imagines valde impudicas ac obscenas iam visitatio totius expositionis, etiam partium ubi hae imagines non exponuntur, in determinatis circumstantiis grave scandalum constituat. Suspensionis autem poena huc spectat, ut clericus, qui gravis culpae reum se reddidit, emendetur; ac praeterea ut indignus removeatur ab exercitio potestatis sacrae.

Diversimode suspensiones dividi possunt: 1. Ratione *extensionis obiecti* suspensio potest esse *generalis*, ita ut omnes effectus in cann. 2279 sqq. enumeratos amplectetur; vel *specialis*, quae limitatur ad aliquam speciem potestatis ecclesiasticae. Suspensio specialis denuo dividitur in suspensionem *ab officio* et *a beneficio* in quantum effectus ad alterutram tantummodo speciem limitatur (can. 2278 § 2). Suspensio denique ab officio potest esse *totalis*, qua vetatur omnis actus tum potestatis ordinis et iurisdictionis, tum etiam merae administrationis ex officio competentis (excepta administratione proprii beneficii) (can. 2279 § 1); aut *partialis*, qua determinati tantum actus potestatis ordinis vel iurisdictionis interdicuntur. Diversas species suspensionis partialis enumeratas invenies in can. 2279 § 2; magis communis, de (pia etiam in casu proposito agitur, est suspensio a divinis, (pia omnis actus potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinuit, prohibetur.

Suspensio *a beneficio* autem privat fructibus beneficii, excepta habitatione in aedibus beneficialibus, non autem iure administrandi bona beneticialia (can. 2280 § 1).

2. Ratione *modi infligendi* eam suspensio distinguitur in suspensionem *ferendae, sententiae*, quae non contrahitur nisi directe inflicta sit per sententiam iudicalem condemnatoriam aut per praeceptum particulare; et suspensionem *latae sententiae*, quae ita addita est legi vel

praecepto, ut ipso facto commissi delicti incurratur (can. 2217 § 1. 2°).

In casu nostro suspensio a divinis est latae sententiae.

3. Ratione *absolutionis* potest esse *reservata* (S. Sedi vel Ordinario) vel *non-reservata*. In casu suspensio est reservata ipsi Ordinario loci.

Breviter adhuc in line notanda venit sic dicta suspensio *ex informatu conscientia*, quae est suspensio ferendae sententiae ab officio sive in totum sive ex parte in casu extraordinario infligenda ab Ordinario absque forma iudiciali aut praevia monitione : scilicet in casu alicuius gravis delicti occulti ; vel etiam aliquando publici, cuius certitudo quidem habetur at probatio in processu iudiciali ex specialibus circumstantiis impossibilis redditur (v. g. quia testes nulla ratione adduci possunt ut de eo testimonium in iudicio ferant) ; ita ex cann. 2186 sqq.

Ad IIum. — Immediatus *effectus* suspensionis incurssae vel inflictae est prohibitio exercendi potestatem ecclesiasticam sive in totum sive pro parte, secundum id quod in poena illata determinatur, iuxta dicta supra sub I. Haec suspensio vel prohibitio in quantum est potestatis ordinis reum tenet ubique terrarum (can. 2226 § 1) ; suspensio autem ab officio in quantum non comprehendit actus ordinis, vel a beneficio, allicit solummodo officia et beneficia quae clericus habet in territorio suspendentis (cann. 2281-2282) ; quod valet etiam pro potestate iurisdictionis, quippe quae non ordini sed officio connectable.

Exercitium actuum a suspensione prohibitorum peccatum constituit ex genere suo grave ; raro tamen in hac re invenitur materia levis¹. Actus autem, etiam iurisdictionis, contra prohibitionem positi utcumque peccaminosi, non sunt invalidi ; actus iurisdictionis invalidi sunt tantummodo casu quo intercesserit sententia condemnatoria vel declaratoria, aut Superior expresse declaret se ipsam iurisdictionis potestatem revocare (can. 2281).

Misericordiosa tamen mater Ecclesia graves hos suspensionis effectus non raro mitigat, quando nempe ex poenae observantia bonum spirituale fidelium detrimentum caperetur aut scandalum nasceretur aut etiam ipisus delinquentis fama graviter laederetur. Ne ex suspensione fideles damnum patiantur statuit can. 2281 coll. can. 2261, quod (nisi sententia condemnatoria vel declaratoria intercesserit) fideles possunt ex qualibet insta causa Sacramenta et sacramentalia petere (quod extendi debet etiam ad S. Missae celebrationem), maxime (sed non

¹ Tamquam materia levis citatur communiter exercitium officii Ordinum minorum.

unice) si alii ministri desini; suspensus autem non tenetur percontari, utrum causa petitionis iusta sit. Auctores plerumque admittunt quod petitio sufficit implicita et praesumpta; quae haberetur quando secundum communiter contingentia fideles Sacramenta vel S. Missam a sacerdote rationabiliter expectant et omissionem aegre laturo supponi debent. Clare patet hoc valere etiam si suspensio publice nota sit; supposita enim iusta causa supradicta, nullum scandalum ex non-observata poena profluet.

Ad sacerdotis suspensi infamiam evitandam Ecclesia benigne statuit, quod nisi delictum sit notorium notorietate iuris aut facti, delinquens excusatur a poena observanda, quoties eam sine infamia servare nequit (can. 2232 § 1). Quamvis can. cit. de scandalo expresse non loquatur, conclusio absque dubio etiam de illo valet. Ex principio generali, quod lex positiva non obligat cum incommodo improporcionado (in casu autem incommodum esset boni communis); ac praeterea quia sacerdos (pii scandalum ex non-administratione Sacramentorum praeberet, practice etiam infamiam contraheret. Patet enim periculum scandali et infamiae urgere, cum delictum et poena sint occulta.

Periculum detrimenti boni communis et privati igitur saepe causa sunt, cur poena, quae in se subiectum delinquentem ligare pergit, quoad effectum suum actu suspendatur. Attamen saepe in hisce circumstantiis poena omnino cessare faciliter potest sc. remissione a Confessario concessa. Vi scilicet can. 2251 in casibus urgentioribus, si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat, tunc quilibet Confessarius in foro sacramentali ab eisdem, quoque modo reservatis, absolvere potest, iniuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem si id fieri potest sine gravi incommodo ad Superiorem competentem.

Exercitium potestatis ecclesiasticae, casu quo poena suspensionis nec remissa sit nec propter causas boni communis vel privati legitime effectus eius cesset, non solum peccatum grave constituit, sed etiam canonicam sanctionem secumfert. Vi enim can. 985. 7° sunt irregulares ex delicio (pii actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt vel eo ordine carentes vel ab eius exercitio poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti). \ (pia irregularitate incurrenda non excusat quidem ignorantia (can. 988). attamen requiritur grave peccatum externum sive publicum sive occultum (can. 986). Qui ideo legitime a poena observanda excusatur

aut qui bona fide limites exceptionum excedit, nullo modo irregularitatem contrahit.

Ad — Quibus expositis facilis nunc evenit casus solutio. Aelius, ita casus, postquam suspensionem incurrit, Missam celebravit et sacramenta ministravit «urgente necessitate». Haec verba indicare videntur petitionem fidelium vel saltem periculum scandali vel infamiae, probabiliter quia fideles poenam incursum ignorabant. A poena observanda ideo excusabatur. Adiungitur autem «antequam Confessionem institueret». Si S. Missam celebravit absque Confessione ea de causa quia urgente necessitate celebrandi copiam Confessarii non inveniebat, licite egit dummodo actum contritionis perfectae ex corde elicuerit de delicto commisso. Quid autem si sine tali causa Confessionem illegitime omisit? Sine dubio graviter peccavit indigne celebrando; at nec in hoc casu irregularitatem contraxit. Quamvis enim censuram suspensionis in Confessione ab humeris suis tollere potuisset propter casum urgentiorem, applicatio cann. 2261 et 2232 § 1 hoc non exigit tamquam conditionem sine qua non; dicit enim can. 2232 § 1 «quoties eam servare sine infamia nequii», quod valet etiamsi poena absolvi potuisset sed absoluta non est. Nullo modo exercitium actus ordinis in casu *poena canonica* prohibitum erat, sed solo vi can. 807 qui Confessionem exigebat. Fuerit ideo Confessio legitime an illegitime omissa, semper recte respondit Iovinianus, quod Aelius irregularitatem non contraxit.

IOANNES VISSEK C. SS. B.

V.

DE INTERDICTO

Dum sodales confraternitatis SS.mi Sacramenti, die dominico, ut moris erat, in suo ipsorum oratorio, officium SS.mi Sacramenti decantarent, orta est quaestio de praecedentia cuiusdam officii in recitandis officii lectionibus, aliis alia opinantibus. Animi adeo incaluerunt, ut cum magno fidelium scandalo sacras aedes clamore impleverint, contumeliis, calcibus etiam et pugnis sese invicem impetentes.

Indignatus Ordinarius loci ob tantam abominationem, edita sententia, illorum confratrum oratorium interdicto ad annum supposuit.

Paulo post, recurrente festo Corporis Christi, confratres in ecclesiam adhuc interdictam convenerunt, apertisque eiusdem ianuis pulsatisque Campanis, veriti non sunt iuxta morem officium SS.mi Sacramenti solemniter decantare, celebrante ibidem Missam ac S. Communionem distribuente Aliprando sacerdote regulari, qui, utpote ab Ordinarii loci jurisdictione exemptus, putavit se non subiici episcopali interdicto.

Missa expleta, confratres hortatus est, concione quadam in oratorio habita, ad concordiam et ad veniam ab Ordinario loci impetrandam, ut quam citius oratorium ab interdicto liberaretur.

Quaeritur :

- 1) Quid et quotuplex interdictum.
- 2) Quinam sint interdicti effectus.
- 3) Quid ad casum.

Solutio

Ad l"m. — Interdicere sensu generico audit aliquid alicui prohibere : unde apud veteres latinitatis scriptores invenimus aliquos interdictos esse aqua et igni, nempe exsilio mulctatos esse : vel etiam

interdictos esse sacrificiis, scilicet prohibitos fuisse sacris interesse (Caes., b. G. 6, 13, 6).

Nota sunt ex iure romano interdicta praetoria : interdicta ad tuendam servandamque rerum possessionem.

Ast iure canonico nomine interdicti venit *censura qua fidelis, in communione ecclesiae permanentes, prohibentur sacris* (determinatis) (can. 2268 § 1).

Quae definitio repetit latiore et forte pleniore definitionem iuris Decretalium, iuxta quam interdictum est censura ecclesiastica, qua prohibetur usus omnium divinorum officiorum et aliquorum sacramentorum et sepulturae ecclesiasticae, quatenus usus est et omnibus fidelibus communis. Ex qua pleniore definitione constat in primis interdictum esse principaliter censuram, scilicet poenam medicinalem, quamvis in peculiaribus casibus lanquam poena vindicationis infligi possit. Obiectum autem interdicti indicatur illis verbis : usus omnium officiorum divinorum etc., cuius determinatio fit in iure : unde definitio Codicis habet: *prohibentur sacris quae in canonibus qui sequuntur enumerantur*. Illa verba: *quatenus usus est* distinguunt interdictum ab excommunicatione, quae prohibet quidem sacra, at solum quatenus reus communicatione cum fidelibus prohibetur : ideo tantum consequenter et indirecte, dum vero interdictum directe et immediate operatur, communicatione cum fidelibus permanente. Denique verba definitionis : *et omnibus fidelibus communis* innuunt distinctionem interdicti a suspensione, quae unos clericos respicit, ideo privat quidem usu rerum sacrarum, sed solum quatenus usus iste est activus, ideo exercitium quoddam potestatis ecclesiasticae vel ministerii cuiusdam ex officio: pium vero interdictum privat usu activo et passivo indifferenter clericos et et laicos 2.

Dividitur interdictum (consulto omittimus distinctiones quas ini. communes habet cum aliis poenis ; nempe latae et ferendae seni. : a iure et ab homine etc.): a) ratione *subiecti* in *locale* et *personale*, lut. locale habetur cum prohibitio rerum sacrarum cadit directe in locum : personale cum cadit directe in personam. Reapse interdictum cadit semper in personam, at prout cadit directe vel indirecte (per locum, ubi sacra habenda essent) ini. dicitur personale vel locale. Accedit ini. *mixtum* seu *ambulatorium* quod sequitur personam ubicumque haec

1 Suarez, *De censuris*, disp. 32, sect. 1, n. 2 sqq.

* Wernz-Vidal, *Ius can.*, VII, 283.

praesens sil : quod int. csl procul dubio locale, al formaliter seu virtualiter est personale : ideo dicitur mixtum.

b) *ratione ambitus in generale el particulare* : quae divisio applicatur sive interdicto locali, sive personali, ita ut *int. generale locale* sil illud quod fertur tum in regnum, provinciam, dioecesim, tum in civitatem vel etiam aliquem locum partialia loca complectentem : *ini. particulare locale* sil illud quod fertur in unum tantum peculiarem locum, vel in Ecclesiam sive unam sive plures : pariter *ini. generale personale* sil illud quod fertur directe in corpus quoddam morale seu collectivum personarum : *int. vero particulare personale* sil illud quod fertur in personas singulas determinatas.

c) *ratione obiecti in totale et partiale*, prouli prohibetur usus omnium rerum sacrarum in definitione expressarum, vel unius alteriusve partis. Inde interdictum ab ingressu ecclesiae est species interdicti partialis.

Statuit can. 2269: «§ 1. Generale interdictum tam locale in territorio diocesis, reipublicae, quam personale in populum diocesis, reipublicae, ferri tantum potest a Sede Apostolica vel de eius mandato ; interdictum vero generale in paroeciam vel paroeciae populum, et particulare, sive locale sive personale, etiam Episcopus ferre potest. § 2. Interdictum personale sequitur personas ubique; locale non urget extra locum interdictum, sed in loco interdicto omnes etiam exteri aut exempti, excluso speciali privilegio, illud servare debent».

Historiam interdicti quod spectat, licet omnes concedant fuisse inde ab initio ius ecclesiae inferendi interdicta, non omnes conveniunt quo tempore ecclesia coeperit hunc suo uti, opinantibus quibusdam (ut *Devoti, Inst. can.*, lib. IV, lit. 19, § 3, not. 23) iam saeculo quarto inveniri exempla sal clara interdicti : aliis vero (ut *De Dominis, Morinus, Bingham, Van Espen, Hinschils, Schiappoli*, quos citat *Webnz-Vidal, lus can.*, VII, 295) in contrariam abeuntibus sententiam el affirmantibus solum saec. decimo vel undecimo aliqua indicia interdicti haberi: media denique incedentibus *Feury (Inst. can.*, P. III, c. 21 § 2) el praesertim *Kober, (Das Interdict, in Arch. f. k. K.*, p. 8), iuxta (pios, licet inveniatur aliquod interdicti generalis exemplum iam a saec. VI. usus tamen frequens generalium excommunicationum el interdictorum invaluit tantum post S. Gregorium VII. ideo saec. XII.

Cum igitur usus interdicti inferendi late invaluisset et eorum severitas gravior in dies facta esset (Kobler memorat interdicta per tres, sex. duodecim, imo triginta et sexaginta annos perdurantia), Romani Pontifices mitioribus limitibus illa circumscribere coeperunt, dispensationibus el privilegiis concessis tum principibus tum regularibus.

Al in Sexto, in Clemenlinis et in Extravagantibus aliquid novi accessit, antiquiore tempore inusitatum, quod nempe interdicta latae sententiae, ad instar aliarum censurarum, irrogarentur.

Concilium Tridentinum veterem disciplinam non immutavit, imo nova interdicta constituit : interdictum tamen locale generale in praxi desuescere coepit, quod nonnisi in illis locis utile esse poterat, ubi viva iides principum et populorum, et catholica religio tanquam unica religio obtineret. Pariter dispensationes maiores in dies dari coeptae sunt, et tempus interdictorum limitari, ne gravius animabus afferretur nocuum.

Quin memoremus interdicta omnia, licet celebria, quae ad historiam iam pertinent : in memoriam tantum revocamus interdictum Gregorii VII, qui ad punienda facinora Philippi I concessit Episcopis Galliae ut officia divina suspenderent in locis suae iurisdictionis. Innocentius II interdicto ambulatorio mulctavit Lodovicum iuniorem regem, ita ut interdicta forent omnia loca ubi rex inveniretur. Alexander III interdixit urbem Cremonam: Alexander IV Lusitaniam: Gregorius IX Siciliam : denique nostris fere temporibus S. Pius X civitatem Adriae (30 sept. 1909) et civitatem Galatinae (d. 10 dec. 1913) ob vexationes in Episcopos illatas.

Ad IJum, Quid prohibitum vel licitum sit durante interdicto solei particulariter determinari a superiore qui interdictum infligit.

In genere tamen haec statui possunt :

1) Interdictum locale afficit personaliter eos qui interdicto causam dederunt : ii vero reliqui qui versantur in loco interdicti debent quidem illud observare (can. 2269 § 2) at possunt rite dispositi sacramenta recipere, ad normam ss. canonum, et extra locum interdictum sunt prorsus liberi (can. 2276). Sacramenta pariter recipere possunt membra communitatis seu collegii interdicti, (piae interdicto causam non dederint.

2) Interdictum locale generale prohibet in loco interdicto quodlibet divinum officium vel sacrum ritum : non vetat tamen morientibus Sacramenta et sacramentalia, servatis servandis, ministrare. Quid autem permittitur ex iure communi in locis interdictis? Statuit in primis can. 2270 §2: « In die Nativitatis Domini. Paschalis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi et Beatae Mariae Virginis in coelum assumptae interdictum locale suspenditur, et prohibetur tantum collatio ordinum et sollemnis nuptiarum benedictio » : itaque omnia alia officia et

ritus permittuntur, non exclusis solemnitate et sonitu campanarum

Ex can. vero 2271, 1°: «permittitur clericis, dummodo non sint personaliter interdicti, omnia divina officia et sacros ritus in quacumque ecclesia aut oratorio privatim obire, ianuis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis; 2°. in ecclesia vero cathedrali, ecclesiis paroecialibus vel in ecclesia quae unica sit in oppido, in iisque solis, permittitur unius Missae celebratio, asservatio Ss.mi Sacramenti, administratio baptismatis, Eucharistiae, poenitentiae, assistentia matrimoniis, exclusa benedictione nuptiali, mortuorum exsequiae, vetita tamen quavis solemnitate, benedictio aquae baptismalis et sacrorum oleorum; praedicatio verbi Dei. In his tamen sacris functionibus prohibetur cantus et pompa in sacra suppellectili et sonitus campanarum, organorum aliorumve instrumentorum musicalium; sacrum autem viaticum ad infirmos privatim deferatur».

3) Interdictum locale particulare, quo interdictum fuerit altare vel sacellum alicuius ecclesiae, sacrum officium seu ritum in eisdem celebrari vetat. Si autem interdictum fuerit coemeterium, fidelium cadavera ibidem sepeliri possunt, sed sine ullo ecclesiastico ritu. Si interdictum latum fuerit in certam ecclesiam vel oratorium, distinguendum est: si eccl. sit capitularis nec interdictum sit Capitulum, standum est can. 2271, 1°, nisi tamen interdicti decretum praecipiat Missam conventualem celebrari et horas canonicas recitari in alia ecclesia aut oratorio. Si vero ecclesia sit paroecialis, standum est can. 2271, 2°, nisi interdicti decretum aliam ecclesiam pro interdicti tempore eidem substituat (can. 2272).

4) Si interdicitur civitas, interdiciuntur quoque loca accessoria etiam exempta ipsaque ecclesia cathedralis; pariter si interdicitur ecclesia, interdicta sunt etiam sacella contigua, non vero coemeterium; interdicto vero sacello, non est interdicta integra ecclesia nec, interdicto coemeterio, interdicitur ecclesia eidem contigua, sed interdiciuntur omnia oratoria in coemeterio erecta (can. 2273).

5) Cum communitas plectitur interdicto ob facinus commissum, videndum est cuinam proprie latum sit interdictum: si singulis personis delinquentibus, valent normae statutae pro interdicto personali, de quo mox ex can. 2275: si vero communitati ut tali, communitas seu collegium nequii ius ullum spirituale exercere quod ei competat: si denique et delinquentibus et communitati, effectus cumulantur (can. 2274).

1 WERNZ-VIDAL, *ius. Can.* VII, 30/.

6) Interdictum personale prohibet personam interdictam quominus : a) divina officia celebret eisve, excepta praedicatione verbi Dei, assistat (passiva tamen assistentia non videtur esse graviter prohibita) : b) sacramenta et sacramentalia ministret, conficiat et recipiat, ad normam tamen cann. 2260 § 1, 2261 ; c) sepultura ecclesiastica donetur, ad normam can. 1210 § 1, n. 2. Quantum autem ad ius eligendi, praesentandi, nominandi ; ad consequutionem dignitatum, officiorum, beneficiorum, pensionum, munerum in Ecclesia, gratiarum Sedi Apostolicae ; ad ordines suscipiendos, interdicti eodem modo tractantur quo excommunicati, de quibus in can. 2265 (can. 2275).

7) Interdictum ab ingressu ecclesiae, uti diximus, est ini. personale particulare et parziale et dici potest poena qua quis a participatione divinatorum officiorum in ecclesia et ab ecclesiastica sepultura prohibetur. Qui tali poena tenetur, potest nihilominus *extra ecclesiam*, v. gr. in oratorio, et orare et missam audire quinimo celebrare et recipere sacramenta. In ecclesia potest tantum privatim orare. Si taliter interdictus assistat officiis divinis in eccl. non est necessario expellendus, neque, si sepeliatur, oportet ut cadaver amoveatur (can. 2277).

Nil dicimus de *cessatione a divinis*, quae poena ad historiam iam pertinet.*

8) Qui violant interdictum peccant graviter: clerici autem illicite exercentes ordinem sacrum fiunt irregulares.

Interdictum si censura est, cessat ut aliae censurae, nempe recessu a contumacia et absolute: si vero poena vindicative, cessat ad arbitrium praelati eam inferentis, i. e. vel dispensatione vel lapsu temporis determinati.

Hodie iure communi quattuor vigent interdicta. Can. 2332: · Interdictum Romano Pontifici *speciali modo* reservatum *ipso iure* incurrunt universitates, collegia, capitula aliaeve personae morales, quocumque nomine nuncupentur, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale concilium appellantia ». Canone vero 2338, § 3 : « Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiae *ipso iure* incurrunt donec arbitrio eius, cuius sententiam contempse-

* Cfr. nihilominus WERNZ-Vidal, *Jus. can.* VII, 312 ; PRÜMMEK, *Mun. theol. mur.*, III, 529.

runt, competenter satisfecerint». Adhuc: «Sponte dantes sepulturam ecclesiasticam infidelibus, apostatis a fide, haereticis, schismaticis aliisve sive excommunicatis sive interdictis, contrahunt interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum » (can. 2339). Denique : « Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti » (2338 § 4).

Ad — Interdictum quo Episcopus animadvertit in contraires protervos et rixantes est interdictum locale particulare, quo igitur iuxta can. 2270 § 1 prohibetur in oratorio interdicto quodlibet divinum officium vel sacer ritus.

Sed confratres eo conveniunt, sacrorum rituum celebrandorum causa, die, festo Corporis Christi, qui est unus ex diebus quibus interdictum suspenditur iuxta can. 2270 § 2 : iure igitur suo usi sunt, etiamsi cum solemnitate quadam pulsatisque campanis sacros ritus celebrarunt. Ob eandem rationem poterat Aliprandus sacerdos regularis Missam celebrare et s. communionem distribuere. At ratio quam ipse adduxit : eum scilicet non teneri episcopali interdicto, ulpote ab Ordinarii loci iurisdictione exemptum : est praecise contra can. 2269 § 2 statuentem in loco interdicto omnes etiam exteri aut exempti, excluso speciali privilegio, illud servare debent † : non constat autem Aliprandum speciali privilegio gaudere. Itaque nisi cecidisset festum Corporis Christi, nullo pacto poterat tam publice et solemniter Missam celebrare : imo nec Missam celebrare, cum in casu ageretur de interdicto locali particulari.

Optimo denique consilio confratres hortatus est ad concordiam et ad veniam ab Ordinario loci impetrandam, ut quam citius oratorium ab interdicto liberaretur.

Pericles Felici

VI.

DE POENIS LATIS CONTRA COMMUNISTAS

Hieronymus per multos annos odio contra sacerdotes exarsit : quod sane conceperat ex consortio cum communistis, quorum conventibus olim intéressé consueverat. Tandem ipsis adhesit, quin tamen politicae communisticae factioni nomen daret, syndacatu tantum eorumdem adscriptus, in quo munus directivum gerit. Quod non causis politicis adductus sed odio in similes associationes fecit, quae, a clero, ut ipse ait, reguntur, et simul ut in sua conditione sociali permanere munusque lucrativum in quadam administratione rei linteariae retineret, ubi socii factionis communisticae per fas et nefas monopolium exercent.

Ad meliorem frugem reversus, occasione missionum, confessorium adiit, cui confitetur se deprecare odium, quo irrationabiliter sacerdotes prosecutus fuit, sed a syndacatu recedere non posse, quin a suo munere etiam in administratione rei linteariae dimittatur gravi cum propria iactura.

Quaeritur :

- 1) Quid de comunismo et de magisterio Ecclesiae.
- 2) Quid de poenis latis contra communistes.
- 3) An Hieronymus excommunicationem incurrerit.
- 1) Quae mandata a confessario sint Hieronymo imponenda.

Solutio

Ad Iuni. — Documentum maius et completum quod Ecclesia, praesertim in via disciplinae, edidit ad damnandum Communismum, est praeter enc. Divini Redemptoris, d. 19 martii 1937', profecto Decretum Sup. Sacrae Congregationis S. Officii <l. 1 iulii 1919, quod integratum fuit declaratione d. 11 aug. 1949 2.

Cum autem hoc decretum non habeat characterem innovandi, sed tantum declarandi ac specificandi leges antea latas, sive in via doctrinali sive in via disciplinari, opportunum valde est examinare quinam

1 *Decretum S. Officii*, 1 iul. 1949 : AAS. 11 (1949) 334 ; 427-428. Insuper cfr : P. Sirna, *Annotationes ad Decretum*, in *Apollinaris*, 21 (1949) 56-70 ; A. Ottavianj, *De communistarum matrimoniis*, *ibid.*, 21 (1949) 101-105 ; M. Fabregas, *Nomen dantes communismo*, in *Periodica de re mor. can. liturg.* 38 (1949) 126 ss. ; id., *Adnotationes ad Decreta d. 1 iul. et 11 aug. 1949*, *ibid.*, 38 (1949) 301. 305 ss. ; M. Ganzi, *Nomen dantes communismo*, in *Periodica...* 37 (1948) 103 ss. ; G. Ferrante, *Il decreto del Sant'Ufficio e la situazione canonica ecc.* (thesis ad lauream in Facultate iuris canonici exhibita in Pont. Athenaeo Lateranensi) Romae 1950 ; U. Lattanzi, *Occidente in pericolo*, Bologna 1951.

AAS. 41 (1949) 334 :

• Quaesitum est ab hac Suprema Sacra Congregatione :

1. utrum licitum sit partibus communistarum nomen dare vel eisdem favorem praestare ;

2. utrum licitum sit edere, propagare vel legere libros, periodica, diaria vel folia, quae doctrinae vel actioni communistarum patrocinantur vel in eis scribere ;

3. utrum christifideles, qui actus de quibus in nn. 1 et 2 scienter et libere posuerint, ad Sacramenta admitti possint ;

4. utrum christifideles, qui communistarum doctrinam inmaterialisticam et antichristianam profitentur, et in primis qui eam defendunt vel propagant, ipso facto, lanquam apostatae a fide catholica, incurrant in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam.

E. mi ac Rev. mi Patres, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, in consessu plenario feriae IU (loco IV) diei 28 iulii 1949, respondendum decreverunt :

Ad 1. *Negative* : communismus enim est materialisticus et antichristianus ; communistarum autem duces, etsi verbis quandoque profitentur se Religionem non oppugnare. re tamen sive doctrina sive actione, Deo veraeque Religioni et Ecclesiae Christi sese Infensos esse ostendunt ;

Ad 2. *Negative* : prohibentur enim ipso iure (can. 1399 c. i. c.) :

Ad 3. *Negative*, secundum ordinaria principia de Sacramentis denegandis iis qui non sunt dispositi ;

Ad 4. *Affirmative*.

Et sequenti feria V, die eiusdem mensis et anni. Sss. inus D. N. Pius Divina Providentia Papa XII, in solita audientia Exc. ino ac Rev. mo D. no Adessori S. Officii impertita, relata in Sibi E. morum Patrum resolutionem adprobavit et in Actorum Apostolicae Sedis Commentario Officiali promulgari iussit.

Petrus Vigorita, Supr. S. C. S. Officii Notarius.

Datum Romae, die 1 iulii 1949.

Declaratio

De communistarum matrimonii celebratione (11 aug. 1949: AAS. 41 [1949] 427).

Quaesitum est utrum exclusio communistarum ab usu Sacramentorum in Decreto S. Officii diei 1 iulii 1949 statuta, secum ferat etiam exclusionem a celebrando matrimonio : et quatenus negative, an communistarum matrimonia regantur praescriptis canonum 1060-1061.

Ad rem Sacra Congregatio S. Officii declarat : Attenta speciali natura sacramenti matrimonii, cuius ministri sunt ipsi contrahentes et in quo sacerdos fungitur munere testis ex officio, sacerdos assistere potest matrimoniis communistarum ad normam canonum 1065-1066.

In matrimoniis vero eorum, de quibus agit in praefati Decreti, servanda erunt praescripta canonum 1061, 1102 § 3.

Marinus Marani. Supr. S. C. S. Officii Substitutus notarius.

sil status et conditio doctrinae communistarum in facie Ecclesiae; et etiam quaenam fuerit positio iuridica communismi ante dictum Decretum, ut possimus postea videre quaenam sit hodie positio eiusdem communismi, post Decreti publicationem.

Praemittenda de communismo et religione.

Ad intelligendam iustam positionem communismi relate ad religionem, oportet in primis distinguere inter materialismum metaphysicum et materialismum dialecticum; et in ipso dialectico materialismo iuvat discernere theorias materialisticas dialecticas et praxim materialism! dialectici.

Tantum illa praxis est valida ac scientiphica quae est auctores philosophiae bolschevicarum, quia adest etiam praxis quaedam, non scientiis fundata, saepe saepius nociva finibus revolutionis proletariae et luctae inter classes.

Quoad materialismum.

Materialismus metaphysicus est materialismus classicus ac modernus, praesertim materialistarum occidentalium saec. XVIII-XIX: expressiones typicas invenire potes in Enciclopedistis gallicis.

Uniusmodi materialismus spernitur ab auctoribus philosophiae Sovieticorum nostri temporis ob suum characterem metaphysicum, id est anti-dialecticum vel saltem non dialecticum, quatenus servat ut primam legem cogitandi et cognoscendi fundamentum logicae ac metaphysicae classicae, nempe principium identitatis ac contradictionis. Una enim ex suis praecipuis absurditatibus, secundum philosophos sovieticos, esset conceptus motus ut quid externum vel ut id quod movetur, (quia hic materialismus praesertim ignorat dialecticam ut synthesini oppositorum); ita induceret logice ad affirmandam existentiam Primi motoris Aristotelis.

Materialismus autem dialecticus, a Marx atque Engels inventus, consistit in applicatione methodi dialecticae (Hegel) philosophiae materialistarum (Feuerbach), donec oriatur materialismus scientificus, qui propria facit negatione identitatis et affirmationem conradictorietatis veritatis.

Quae quidem theoria et praxis politico-socialis quam secumfert incarnatur in revolutione, lucta inter classes et in dictatura ad triumphum plenum Factionis communistarum. In quo semper aderunt duae

species activitatis : altera theoretica altera practica, quarum fusio habetur et unitate inter praxim ac theoriam.

Posito principio materialism! historici in via theoretica, omnia scilicet evolutione historica pendere a factore oeconomico, et omnia videnda esse quoad reconstructionem proletariam et luctam classium, sequitur logice quod religio non solum reprobanda sil atque delenda, sed hoc. scientificè est peragendum, ita ut possit religione uti tanquam medio dialectico processus evolutionis.

Lenin enim viderat inutilitatem expugnandi sensum religiosum, ut fecerat Bismark, qui, martyres creando, religionem roboraverat. Modus vero agendi scientificè consistit in persuadendo communistas militantes quod religio cadet, sua ipsa vi, immutando ipsas oeconomicas structuras mediae classis, quae eamdem creaverunt, et adhibendo contra fideles persuasionem, minas aut persecutionem iuxta temporum opportunitatem.

Quam ob rem nullum compromissum theorelicum cum religione : ipsa enim dicitur metaphisice absurda. Attamen existit revera, sed ut valor historicus ; et ideo est intelligenda in sphaera principiorum materialism! historici et eorundem practicae evolutionis.

I comunisti devono mostrare di aborrire ogni forma di repressione religiosa... Essi protesteranno contre le persecuzioni fatte ai cattolici, difenderanno il loro diritto di professare una religione... Ma nello stesso tempo essi condurranno una campagna contro il cattolicesimo »¹ ita scribebat Yaroslavsky, arguens videlicet pro et contra eodem tempore : en apex dialecticae, *pro* secundum modum practice agendi, *contra* autem iuxta scientificum conceptum.

Audiatur ipse Lenin : « Se, per esempio, si tratta di unire fra loro comunisti convinti, e gruppi di operai che credono in Dio, in tali circostanze la propaganda pub risultare superflua e nociva... (si deve solo spingerli) alia lotta di classe... la quale portera gli operai cristiani all'ateismo... cento volte meglio di quanto non lo possa fare la nuda predicazione ateistica. In tal momento... il predicatore dell'ateismo farebbe il gioco del prete ».²

Et addidit : « Le pubblicazioni vivaci, ingegnose dei vecchi atei del sec. XVIII, che attaccavano apertamente ed in modo spiritoso l'oscurantismo clericale dominante, si dimostreranno assai spesso mille

* Yaroslavsky, *Anlireligiznik*, maggio-giugno 193;).

¹ Lenin, *Sulla religione*, Roma 1949, pagg. 27-28 ; U. Lattanzi, *Occidente in pericolo*, Bologna 1953, pagg. 65-67.

volte più adatte a destare la gente dal sonno religioso, che non le parafrasi del marxismo noiose, aride, quasi mancanti di fatti abilmente scelti destinate ad illustrarle »

Ita ipse loquitur quoad praxim ; sub aspectu scientifico ita idem loquitur : « Noi dobbiamo lottare contro la religione ; questo è l'ABC di tutto il materialismo e quindi del marxismo. Ma il marxismo non è un materialismo che si limiti all'ABC. Il marxismo va oltre. Esso dice : bisogna saper lottare contro la religione, per questo bisogna spiegare materialisticamente l'origine della fede e della religione nelle masse. Non si può limitare, non si può ridurre la lotta contro la religione ad una predicazione ideologica astratta ; bisogna legare questa lotta alla *prassi* concreta del movimento di classe, tendente a far scomparire le radici sociali della religione » 1.

EL alius coriphaeus communismi, Stalin : « La concezione materialista della storia ha innalzato al più alto grado la lotta contro la religione ; il flirt con la pretaglia o la tolleranza verso di essa sono assolutamente estranei al marxismo e incompatibili con esso... La lotta contro la religione è una delle forme della grande lotta liberatrice del proletariato » 3.

Concludendo : Theoria materialism! dialectici negat absolute omnem religionem ; et praxis scientifica eam aversatur cum quadam tolerantia tamen, si oporteat. Praxis vero non scientifica nescit invenire verum modum oppugnandi religionem.

Hi et alii errores communismi damnati fuerunt a Magistero Ecclesiae inde ab eorum ortu.

Jam Pius IX, anno 1816, scilicet duobus annis ante publicationem illius proclamationis 1818, reprobabat errores communistarum Encyclica *Qui pluribus* : quam damnationem confirmabat postea in Syllabo (Denz. U. 1691).

Leo XIII in Encyclicis Litteris *Quod apostolici muneris*, 28 decembris 1878, communismum esse « ...lethiferam pestem, quae per artus intimos humanae societatis serpit, eamque in extremum discrimen adducit », declarat⁴.

Pius XI conatus est ponere in lucem «atheorum bolscevistarum errores eorumque instituta, fallaciae violentiaeque plena ». Et hortatur

¹ *Sulla religione*, pagg. 60-61.

² *Id.*, *ib.*, pag. 24.

Stalin, *Manuale del materialismo dialettico*, cd. ufficiale, pagg. 134-135.

³ *Acta Leonis XII*, vol. I, pag. 170.

episcopos dicendo 1 : « Agitedum, Venerabiles Fratres, date impensissime operam, ut fideles ab insidiis caveant. Communismus cum intrinsecus sit pravus, eidem nulla ni re est adiutrix opera ab eo commodanda, cui sit propositum, ab excidio Christianum civilemque cultum vindicandum ».

Eandem damnationem iam irrogaverat idem Pontifex in enc. *Quadragesimo anno* (15 maii 1931).

Ad 1) *Positio iuridica [actionis communistarum ante Decretum]*. — Usque ad decreti publicationem, die 1 iul. 1949, inter theologos ac canonicos disputabatur utrum quis posset nomen dare factioni communistarum, quin in censuram incideret. Quaestio erat in interpretatione et applicatione danda canonibus 2314 adversus apostatas et can. 2335 contra eos, qui inscribuntur sectis damnatis ab Ecclesia. Ex hoc oriebatur duplex quaestio : 1) An communistae sint apostatae a fide ; 2) utrum communismus habendus sit ut secta ab Ecclesia damnata.

De prima quaestione aderat consensus fere unanimis ; etenim ad excommunicationem incurrendam quam comminatur can. 2314 § 1. requiritur acceptatio apostasiae quodam peccato gravi, formali atque externo. Atqui certum est, ut recte scribebat iam P. Ganzi nonnullos et forsitan plerosque suae communistarum factioni adscriptos reos esse huiusmodi formalis ac externae apostasiae, saltem ii qui etiam sectae athcisticae inscribuntur 2.

Attamen sola ac mere inscriptio huiusmodi factioni, prosequabatur P. Ganzi, praesertim quum nomen datur unice ipsi ut factioni politicae, in se nullam continet apostasiam.

De secunda quaestione autem (nempe de interpretatione can. 2335) non erat unanimis consensus.

Etenim quidam auctores putabant necessariam esse ac sufficientem meram machinationem cuiusdam sectae adversus Ecclesiam, ut inscripti ' ipso facto ' excommunicationem incurrerent ; cum autem hanc machinationem invenirent in factione communistarum, deducebant inscriptos huic sectae plecti excommunicatione.

1 Enc. *Divini Redemptoris*, 19 maii 1937 ; AAS 29 (1937) 96.

2 Ganzi, in *Periodica de re morali, canonica et liturgica*, (1918) 103 ss. Jam a Pont. Commissione ad interpretandos authentice canones codicis inscriptio sectae athcisticae acquirata fuerat inscriptioni sectae haereticae et schismaticae in ordine ad Inducendum impedimentum mixtae religionis (can. 1060: P. C. C., 30 iul. 1934 : AAS 26 (1934) 431 ad 1).

Alii vero auctores retinebant necessariam esse, praeter machinationem, etiam clandestinitatem, et cum hanc non invenirent in factione communistarum, utpote factione politica, negabant inscriptos incurrere hanc excommunicationem. Nihilominus incurrere ipsi aiebant in huiusmodi excommunicationem eos tantum, qui ut capita cellularum activitatem clandestinam agebant, praesertim contra Ecclesiam et contra reipublicae legitimam auctoritatem. Eorum thesim confirmabant, observando documenta ipsa Pontificia vetare nomen dare huiusmodi factioni, sed numquam plectere communistas excommunicatione. Ita inter alios Fabregas¹, qui instituit comparationem inter massoneriam et communismum, ad determinandam singulorum positionem relate ad leges poenales Codicis iuris canonici.

2) *Positio iuridica post Decretum.* — In hac expositione placet nobis sequi ipsum Decretum.

.4) Utrum licitum sit: a) partibus communistarum nomen dare: b) eidem favorem praestare. Negative.

Nomen dare partibus communistarum : quaestio est utrum quaelibet inscriptio sit actus intrinsece malus. Ad respondendum necesse est distinguere inscriptionem materiale ab inscriptione formali : quatenus quis adhaereat tantum externe, vel etiam mente, comunistarum doctrinae.

a) Inscriptio *materialis*, passiva, si peragitur 'ex causa proportionate gravi' non est actus intrinsece malus. Ideoque si quis cogitur vi morali vel phisycaliter ad se inscribendum materialiter huiusmodi factioni, quam interne, cognoscendo doctrinam communistarum, ipsemet reprobabat, non peragit actum intrinsece malum.

Si autem ab auctoritatibus factionis imponeretur quaedam actio intrinsece mala, ut odium Dei. Religionis et Ecclesiae, tunc actus esset moraliter illicitus, et nulla causa, ne quidem vitae materialis amissio, actum iustificaret.

β) Inscriptio *formalis* est actus intrinsece malus, quatenus acceptatur, defenditur et roboratur quaedam doctrina et quaedam praxis, (piae sunt intrinsece malae. Salis est heic recolere verba Pii XI: « communismus est intrinsece pravus »).

In malitia intrinseca omnis intelligitur activitas quam factio evolvit in variis sectoribus, a cultura scientifica ad organizationem iuvenum et

¹ *Nomen dantes communistno*, in *Periodica* (1949) 126) ss.

syndacalem, itaque Decretum non loquitur singillatim de factione politica, sed de partibus communistarum.

h) Favorem praestare. Pro vocabulo 'favorem praestare' intelligitur cooperare cum comunismo, eidem fovendo in lucta, eundem adiuvando mediis pecunariis, eiusdem activitatem politicam vel culturalem actionem promovendo, in electionibus politicis vel syndacalibus participando pro eadem factione vel quovis modo adhaerendo communistarum politicam sive in regione vel loco sive in relationibus internationalibus. Sunt favores concessi comunismo et ideo graviter illiciti, vi eiusdem Decreti, concessionem locorum, machinarum, praestationis laboris, suffragium dare, participare comitiis, motibus, conventibus comunismi, necnon « festivals » et huiusmodi aliis rebus.

Igitur qui scienter ac libere tales favores praebet comunismo, illicitè agit et, posita intrinseca malitia huiusmodi doctrinae cui favet, graviter peccat.

H) Estne licitum edere, propagare vel legere libros, periodica, diaria vel folia quae doctrinam vel actionem communistarum patrocinantur, vel in eis scribere ?

Negative. Prohibentur enim ipso iure (can. 1399).

Posita enim natura materialistica atque anti-christiana comunismi, ut in prima responsione Decreti vidimus, logice est quoque negativa secunda responsio, (pia docet vetitos esse ipso iure (can. 1399) actus huiusmodi. Attamen, licet can. 1399 loquatur praevalenter de libris, et non de diariis et periodicis, ut fit in Decreto, oportet tamen prohibita habere ipso iure etiam haec ultima, quia legislator in can. 1381 § 2 expresse dicit « quae sub hoc titulo de libris praescribuntur, publicationibus diariis, periodicis et aliis editis scriptis (ex. gr. foliis) quibuslibet applicantur.

a) Edere respicit eos, qui sunt causa efficiens ipsius libri, nempe auctor, editor, typographes : de operariis applicanda sunt principia de licita cooperatione ad actum malum.

b) Propagare includit eos, qui libere scienterque vendunt aut diffundunt communistarum editiones vel favent et corroborant actionem communistarum.

Ephemeridum venditor non ponit actionem intrinsece malam. Si quis « vi vel moraliter coactus » vendit et diffundit haec folia, non hac causa favorem comunismo praestat, ut requiritur in prima parte Decreti ; quia ille ponit causam quamdam, a qua exurgit duplex effectus:

alter bonus et alter malus. Idcirco in hoc casu applicantur principia de duplici effectu '.

c) Legere est videre propriis oculis. In libris requiritur legere † partem notabilem ' ; ubi periculum deest, circiter folia triginta ; ubi autem est periculum specificum vel error sufficiunt tria vel quattuor folia. De ephemeridibus periodicis vel diurnis, adest peccatum, quum quis libere scienterque legit unum articulum vel partem notabilem contra fidem vel mores.

(T) In eis scribere, est semper graviter velitum, quia scriptores favores communismo praestant. Possunt distingui tres classes scriptorum : i. e.

a) scriptores consentientes ;

β) scriptores ordinarii rerum indifferentium (ii possunt excusari si adest causa gravis) ;

γ) scriplores extra-ordinarii (possunt scribere, remoto scandalo et iusta causa).

C) Possuntne christifideles, qui actus de quibus in η. 1 et 2 scienter ac libere posuerint, ad Sacramenta admitti ? Negative.

Nequeunt admitti ad Sacramenta christifideles, qui scienter libereque posuerunt sequentes actus : a) inscriptionem factioni Comunistarum vel associationi cuidam eiusdem factionis (U. D. I. etc.). b) favores praestare Communismo et eius associationibus vel operibus: c) edere, propagare, legere vel scribere in libris, periodicis, diariis, foliis propagationis, quae doctrinam vel actionem communismi defendunt.

At, ad incurrendam exclusionem a Sacramentis, requiritur ut actus praedicti ponantur scienter ac libere ; ideoque sunt excludendi a Sacramentis communistae formales, admitti vero possunt communistae materiales.

1 Ita S. Officium <l. 2 aug. 1949, in responsione privata non authentica, data Eminentissime Archiepiscopo Panormitano :

«... In alcune città le organizzazioni sindacali, dalle quali dipendono le modalità di distribuzione dei giornali presso i chioschi di rivendita, insistono con estremo vigore sull'obbligo dei giornalisti di non escludere dalle loro rivendite questo o quel giornale. sotto pena di vedersi negata la consegna di tutti gli altri giornali.

In altre città invece, i rivenditori possono senza difficoltà sottrarsi a tale imposizione. E chiaro che se il giornalista può, senza suo grave danno, evitare la vendita dei giornali proibiti, tale rivenditore, se non si attiene alle disposizioni del noto Decreto del S. Offizio, pone scienter et libere gli altri per i quali sono comminate le note sanzioni.

Che se, invece, il giornalista trovasi sotto la coazione effettiva dei suddetti sindacati. la sua cooperazione materiale può essere tollerata, fermo tuttavia restando sempre l'obbligo in coscienza di limitare quanto più è possibile tale cooperazione ; ciò che può essere fatto con le piccole industrie, in cui gli stessi giornalisti sono esperli, e che non è d'uopo qui elencare .

Haec sunt principia generalia. Nihilominus constat ex ipso Codice, in huiusmodi casibus, diversam esse disciplinam secundum exigentias peculiare singulorum Sacramentorum : quapropter iuvat omnia recensere Sacramenta, adnotando pro unoquoque quid videndum sit in subiecta materia.

1. *Quoad baptismum.*

Communistae formales admitti possunt tantummodo si errorem reiciunt et promittunt se in fide esse perseveraturos. Communistae autem materiales tantum, si constat de fidei sinceritate, remoto scandalo, admitti debent ad baptismum. Tam formales quam materiales possunt baptizari in periculo mortis; et etiam extra praedictum periculum, si est possibile providere eorum catholicae educationi.

Iuvat recolere communistas formales, utpote apostatas a fide, ipso facto incurrere in excommunicationem Sedi Apostolicae reservatam, et ideo munere patrini fungi non posse.

2. *Quoad confirmationem.*

Confirmatio est concedenda iis, qui, licet filii communistarum formalium, non sunt communistae ; et iis, qui licet sint communistae materiales, fidem tamen adhuc servant. Ratio est quia hoc sacramentum datur defensionem ac fidei propagationem ob gratiam Spiritus Sancti.

3. *Quoad Eucharistiam.*

Qui publice formaliterque communismo adhaeret, debet a S. Communionem excludi. Sacerdos, qui eum admittit, graviter peccat.

Si autem non est notoria formalis adhaesio alicuius christi-fidelis factioni communistarum, sacerdos administrare S. Communionem eidem potest, si publice petat.

1. *Quoad poenitentiam.*

Formalis adhaesio communismo nequit componi cum attritione, quae includit propositum desistendi e statu peccati. Quo in casu profecto absolutio est deneganda.

Debent absolvi fideles, qui extra periculum mortis formaliter promittunt se reiciere doctrinam communistarum ; in periculo mortis etiam quum tantum verbis sincere promittunt retractationem.

Communistam formalem, sensibus destitutum, si reconciliationem reiecit,

non debet absolvi ; si nihil dixit, absolvi potest, remoto scandalo, et sub condicione. Si autem reconciliationem immediate antea petiit, absolvi debet absolute.

Extra mortis periculum, etiam in casu urgention, oportet sequi disciplinam communem.

5. *Quoad extremam unctionem.*

a) Communista, sensibus non destitutus et non absolutus (i. e. non confessus), si petierit extremam unctionem, debet prius absolvi, si tempus suppetat et postea potest recipere extremam unctionem, dummodo sit dispositus.

b) Communistae, sensibus destituti, qui, antequam sensus amitteret, petiit reconciliationem, absolute est administranda extrema unctio.

c) Communista, sensibus destitutus, qui nec petiit nec reconciliationem recusavit, potest ungi sub condicione, remoto scandalo. Secus, si reiccerit reconciliationem, nequit absolvi, neque sub condicione.

6. *Quoad ordinem sacrum.*

Communista formalis nequit promovi ad ordines, quia est excommunicatus (can. 2265 §§ 1, 3), in eo proinde adest irregularitas ex delicto.

Filii autem communistarum formalium, quatenus lili acatholicorum (cfr. can. 987), sunt simpliciter prohibiti ne ad sacros ordines accedant.

7. *Quoad matrimonium.*

a) Communistae etsi formales nisi sint sectis atheisticis adscripti non ligantur impedimento mixtae religionis, attamen nequeunt contrahere matrimonium, «nisi praestitis cautionibus ad modum acatholicorum » (can. 1061).

In peculiaribus circumstantiis, indicio Ordinarii, potest mitigari rigor huiusmodi disciplinae, at numquam licet celebratio Missae in his casibus. Parochus potest 'ad modum cathecheseos' sponso alloqui, non vero ad modum orationis celebrativae et auguralis.

b) Communistae materiales non prohibentur, vi huius decreti, a sacramento matrimonii contrahendo ; attamen, vi declarationis S. Officii d. 11 augusti 1919, matrimonium eorum regitur normis traditis in canonibus 1065 et 1066.

1 Quo in casu viget impedimentum mixtae religionis, sed vi responsionis P. C. C., d. 30 iulii 1931 : AAS 26 (1931) -134 ad 1.

c) Sive de communistarum materialium sive formalium matrimonio agatur, parochus nequit adsistere nuptiis ' nisi consulto Ordinario qui, omnibus perpensis, potest id permittere : «) si potest provideri educationi catholicae prolis; b) si removeri potest periculum perversionis conjugis catholici.

Profecto si uterque coniux est comunista, evidenter facilius est periculum perversionis prolis et ideo difficilius est concedenda licentia. Possunt exigi cautiones scriptae.

/)) (Utrum christifideles qui communistarum doctrinam materialisticam et antichristianam profitentur, et in primis qui eam defendunt ac propagant, ipso facto, lanquam apostatae a fide catholica, incurrant in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam ? Affirmative ».

Can. 231 § 1, 1° dicit : « omnes a Christiana fide apostatae incurrunt ipso facto excommunicationem », et, iuxta can. 1325 § 2, est apostata is qui « e fide Christiana totaliter recedit ». Atqui nullum adest dubium, recedere totaliter e fide Christiana eum, qui doctrinam communistarum, materialisticam et anti-christianam profiteatur, ut iam vidimus in prima parte expositionis, idcirco eundem ut apostatam incurrere ipso facto in excommunicationem.

Kecte decretum utitur voce ' christifideles ', quia iuxta canonem 2211 § 1 « censura est poena qua homo baptizatus, delinquens et contumax, bonis spiritualibus... privatur etc. ». Censura punitur tantummodo delictum externum, grave, consummatum, cum contumacia coniunctum (can. 2212 § 1): et his deducitur incurrere in excommunicationem eos lanium (pii formaliter adhaerent comunismo eiusque doctrinam profitentur, scilicet requiri elementum materiale, nempe adhaesionem formalem externam doctrinae et praxi comunismi.

Insuper ut elementum formale, in casu, requiritur adhaesio interna † ex animo iuxta auctores ; adhaesio facta ' scienter et libere. ' iuxta Decretum, ut sit revera interna professio doctrinae comunistarum.

Igitur in foro interno requiruntur duo elementa praedicta, ut adsit delictum apostasiae et subsequens excommunicatio ; in foro externo evidenter elementum internum praesumitur, quum certo constet de elemento materiali adhaesionis apertae (formalis), externae, ut iam explicavimus.

Effectus huiusmodi excommunicationis sunt :

- 1) exclusio ab actis legitimis ecclesiasticis;
- 2) interdictio ab officiis ecclesiasticis ;

3) denegatio sepulturae ecclesiasticae (can. 2260).

Ad conclusionem devenientes vix oportet repetere Decretum non habere characterem innovationis, sed declarativum tantum, ad finem applicandi legem iam vigentem. Ita aufertur quaevis dubitatio, speciatim in iis, quae sunt essentialiter maximi momenti sive in via iuridica sive in praxi apostolatus.

Huiusmodi haesitationis, paulo ante Decretum, sunt testes clarissimi auctores, inter quos P. Ganzi, qui in citato articulo, concludebat: « ne putemus nos magis proficere in bono animarum procurando, et fidelibus ad Christum adducendis, per frequentem et gravem poenarum ecclesiasticarum usum »¹

Magno gaudio alius auctor inibat commentarium Decreti in *Periodica* 2, his claris verbis: « Hoc decreto in claram lucem ponuntur quae forsitan lenitatis spiritu, fortasse quandoque tergiversationis studio obscuriora in dies deveniebant ».

Iure ergo E. mus Cardinalis Ottaviani scribebat in *Apollinaris* quod suo decreto S. Officium nihil novi statuerat, sive in re doctrinali, sive in disciplina canonica, et assertum probabat dicens espresse: « Circa doctrinam enim id quod enunciatur in Responsione ad primum dubium supra citati decreti . . . iam fuse et pluries enunciatum fuerat in sollemnibus Supremi Magisterii documentis »³. Quoad exclusionem a Sacramentis applicantur ordinaria principia de sacramentis denegandis is qui non sunt dispositi; excommunicatio autem, de qua sub quaesito 111, ea est quae jam in C.J.C. (can. 2314) apostatis irrogatur.

Ad IH^m, An Hieronymus excommunicationem incurrerit? — Ad cognoscendum an Hieronymus incurrerit excommunicationem, oportet in primis comperiri utrum ipse revera faciat professionem doctrinae materialisticae et antichristianae, quia decretum S. Oflicii statuit incurrere in excommunicationem ut apostatas « christifideles qui communistarum doctrinam materialisticam et anti-christianam profitentur ». Casus autem dicit Hieronymum adhaesisse communistis, non causis politicis, sed odio antireligioso et motivis personalibus. Inscritur et fit director cuiusdam associationis syndacalis communistarum. His positis potest dici quod doctrinam comunistae profitetur?

Licet aliquatenus, primo aspectu, incertus mansissem, negarem quia,

* II. M. Ganzi. *Nomen dantes communisme*, in *Periodica*, 37 (1918) 118.

³ M. I-aubegas, *Adnotationes ad decretum d. 1 iul. 1049*, in *Periodica*, 38 (1919).

¹ *De communistarum matrimoniis*, in *Apollinaris*, 22 (1919) 101.

non videtur Hieronymus esse intus verus communists. Ipse enim recepit a communistis, ob relationes cum eisdem initas, odium in clericos, sed non videtur atheus. Ingreditur quidem in eorum activitatem syndacalem, et quidem functionibus directoris, non quia approbat philosophiam et sociologiam communisticam, sed ob aversionem in clericos, quos ille videt ut intrusos in quaestionibus syndacalibus ac politicis. Quare ipse profitetur quidem unum errorem accidentalem doctrinae communistarum, qui non est proprius et solus comunistarum, sed nequit dici profiteri dolrinam comunistarum ut sic.

Igitur ille pertinet ad casus genericos n. 1 Decreti : nomen scii, dat et eisdem favorem praestat ; sed non est communisla formalis, militans. Saltem casus est dubius.

Cum autem heie agatur de legibus poenalibus, interpretatio et applicatio est stricta. Idcirco Hieronymus graviter peccavit suo modo agendi, sese exponendo periculis, frequentando et cooperando cum communistis, ob suum anticlericalismum etc. ; at non incurrit in excommunicationem.

Ad IVU'''. Quae mandata a confessorio sint Hieronymo imponenda? — Confessor, postquam explicaverit malum quod ipse fecit, absurdilatem sui odii contra clericos, eundem hortetur ut damnum peractum reparet. Oportet ut interrogatur an valeat alterum laborem sibi parare, extra officium, in quo nequii remanere, quin contributum det communistis, cum subsequentibus relationibus cum eisdem et periculis relabendi in odium contra clericos. Si hoc est impossibile, confessarius potest concedere ut remaneat in suo officio, dummodo serio promittat se vitaturum esse in futurum quemlibet actum contra Ecclesiam, simulque promittat se aliud munus quam primum petiturum esse, ut syndacatui communistarum, palam possit valedicere. Si has condiciones acceptaverit, tunc Hyeronymus potest absolvi.

Petrus Palazzini

VII.

DE ILLICITA ALIENATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM

Evodius, sacerdos, cuiusdam monasterii monialium ex delegatione Ordinarii loci administrator, ad expensas urgentissimas in monasterio faciendas magnam titulorum qui dicuntur ad latorem quantitatem, quos monasterium acquisivit ex hereditate delata moniali solemniter professae, alienavit absque beneplacito apostolico, ratus in hoc casu titulos computandos esse ut pecuniam pro occurrentibus necessitatibus impendendam. At dein scrupulis premitur, dubilatque ne in casu in excommunicationem inciderit.

Quaeritur :

- 1) An et quatenus requiratur beneplacitum apostolicum ad bona ecclesiastica alienanda.
- 2) Quasdam in poenas incurrant alienantes bona ecclesiastica sine debita facultate.
- 3) An et quatenus administratores bonorum ecclesiasticorum titulos ad latorem commutare possint.
- 4) Quid ad casum.

Solutio

Ad Ilim. — Ex Codice iuris canonici.

«§ I. Bona temporalia, sive corporalia, tum immobilia tum mobilia, sive incorporalia, quae vel ad Ecclesiam universam et ad Apostolicam Sedem vel ad aliam in Ecclesia personam moralem pertineant, sunt *bona ecclesiastica*. — § 2. Dicuntur . . . *pretiosa*, quibus notabilis valor sit, artis vel historiae vel materiae causa » (can. 1197).

Firmo praescripto can. 1531, si agatur de alienandis rebus pretiosis aliisve bonis quorum valor superet summam triginta millium francorum seu libellarum, vel de contrahendis debitis et obligationibus ultra indicatam summam, contractus vi caret, nisi beneplacitum apostolicum antecesserit» (can. 534 § 1).

† Salvo praescripto can. 1281 § 1, ad alienandas res ecclesiasticas immobiles aut mobiles, quae servando servari possunt, requiritur: 1) Aestimatio rei a probis peritis scripto facta; 2) Insta causa idesturgens necessitas, vel evidens utilitas Ecclesiae, vel pietas; 3) Licentia legitimi Superioris, sine qua alienatio invalida est» (can. 1530 § 1).

† Legitimus Superior de quo in can. 1530 § 1, n. 3, est Sedes Apostolica, si agatur: 1) de rebus pretiosis; 2) de rebus quae valorem excedunt triginta millium libellarum seu francorum » (can. 1532 § 1).

† Pro locatione bonorum ecclesiasticorum, servato praescripto can. 1179: 1° Si valor excedat triginta millia libellarum seu francorum et locatio sit ultra novennium, requiritur beneplacitum apostolicum » (can. 1541 § 2).

Insignes reliquiae aut imagines pretiosae itemque aliae reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorentur, nequeunt valide alienari neque in aliam ecclesiam perpetuo transferri sine Apostolicae Sedis permissu » (can. 1281 § 1).

Ex posterioribus documentis :

Summa triginta millium libellarum sive francorum, de qua in can. 531 § 1 et 1532 § 1 n. 2, aequipollet, perdurantibus praesentibus adiunctis et ad nutum S. Sedis, summae decem millium francorum sive libellarum aurearum (C. Consist., 13 iulii 1951; AAS, 13 [1951] 602 sq.).

Summa autem decem millium francorum sive libellarum aurearum aequipollet modo in Italia summae trium millionum libellarum in moneta currenti seu chartacea (Cf. *Monitor ecclesiasticus*, 78 [1953] 109).

Circa donaria votiva C. Concilii ad dubia sibi proposita respondit: Ad alienationem quorumcumque donariorum votivorum requiri beneplacitum apostolicum, etiam (piando ipse oblato donarii in alienationem ultro consentit (11 ianuar. 1922; AAS, 14 [1922] 160 sq.).

Ex probatis auctoribus :

Alienatio hic sumitur lato sensu, omnis videlicet contractus quo dominium rei, vel directum vel utile, in alterum transfertur aut quomodolibet oneratur aut deterius lit; igitur donatio, venditio, emphyteusis, infeudatio, census, hypotheca, impositio servitutis, cessio iuris quaesiti, etc. † Pecunia numerata rei immobili vel mobili pretiosae emendae legitime deputata, vel quae habet annexum onus perpetuum vel

diuturnum Missarum, aut quae summae capitali seu sorti stabili frugiferae formaliter est adiuncta, solemnialibus alienationis subiicitur »*.

Pro Vermeersch-Creusen¹, alienationis nomine non venit, « contra atque existimat R. P. Prümmer, q. 451, ipsa emptio, si fiat pecunia quae non est stabile iam capitale; nec solutio debiti, ope talis pecuniae facta, contra ac dicere videtur Wernz, 111, n. 154». Concinit Berutti³4

Alienationem non facit qui . . . pecuniam solvit — in titulis frugiferis permanentem non collocatam — ad pretium pro emptione numerandum aut ad debitum extinguendum ».

Notabilis valor, quo distinguitur res pretiosa, signabatur communiter qui attingebat libellas mille ilalicas; hodie igitur qui attingit libellarum centum millia.

Ad II''''. — « Firma nullitate actus et obligatione, etiam per censuram urgenda, restituendi bona illegitime acquisita ac reparandi damna forte illata, qui bona ecclesiastica alienare praesumpserit aut in iis alienandis consensum praebere contra praescripta can. 531 § 1 et can. 1532 : 1) Si agatur de re cuius pretium non excedit mille libellas, congruis poenis a legitimo Superiore ecclesiastico puniatur; 2) Si agatur de re cuius pretium sit supra mille, sed infra triginta millia libellarum, privetur, patronus iure patronatus; administrator, munere administratoris; Superior vel oeconomus religiosus, proprio officio et habilitate ad cetera officia, praeter alias congruas poenas a Superioribus infligendas; Ordinarius vero aliique clerici, officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia obtinentes, solvant duplum favore ecclesiae vel piae causae laesae; ceteri clerici suspendantur ad tempus ab Ordinario definiendum; 3) Quod si beneplacitum apostolicum in memoratis canonibus praescriptum, fuerit scienter praetermissum, omnes quovis modo reos sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, manet praeterea excommunicatio latae sententiae nemini reservata » (can. 2347).

Quoniam in poenis benignior est interpretatio facienda (can. 2219 § 1), plures alienationem de qua can. 2317 sumunt stricto sensu, quae videlicet nominat dominii translationem; «proinde vendere, donare, permutare, in solutionem dare, in emphyteusim concedere; non autem commodare, locare, pecuniam mutuo dare, hypothecae subdere, oblata vel relicta Ecclesiae repudiare, in re dubia transigere»¹.

¹ Vromant, *De bonis Ecclesiae temporalibus*, 1934, n. 280 bis, pag. 302.

² *Epitome*, I. C., n. 851, pag. 594.

³ *Institutiones* I. C., IV, n. 184, pag. 510.

⁴ Teodori, in *Apollinaris*, 5 (1932) 250.

Dantes ii solum intelliguntur, quorum nomine alienatio peragitur, parochi vel rectores, non autem eorum mandalarii vel alio modo in delictum concurrentes nisi delictum sine eorum opera commissum non fuisset, neque eiusmodi bona destruentes vel fucantes . . . Recipientes dicuntur, qui bona ecclesiastica emunt vel locant, vel generatim ii in quorum commodum contractus lit. Consensum praebentes, si consensus ad valorem contractus requiritur, non autem delictum patratum laudantes. Sic si leges civiles laicorum consensus in alienatione requirunt, non tantum parochus vel alia persona ecclesiastica quae alienationem peragit, sed ipsi etiam laici excommunicationem incurrunt » C

Censura non incurritur nisi beneplacitum apostolicum fuerit scienter praetermissum. Hoc non praetermittit qui contractum alienationis peragit sub condicione «si accedat apostolicum beneplacitum»; neque praetermittit scienter qui ignorat, ignorantia quoque crassa vel supina (non tamen allectata), agi bona ecclesiastica, requiri beneplacitum apostolicum, et quidem sub censura.

Censura tunc incurritur cum contractus alienationis ultro citroque perfectus est ; re igitur tradita, si requiritur rei traditio ; condicione impleta, si alienatio facta fuerit sub condicione suspensiva.

Ad —« Administratores possunt *titulos ad latorem* quos vocant, commutare in alios titulos magis aut saltem aequae lutos ac frugiferos, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie, ac de consensu Ordinarii, dioecesani Consilii administrationis aliorumque quorum intersit» (can. 1539 § 2).

Quod dicitur de titulis ad latorem, « idipsum dicatur universim de censibus publicis, qui vulgo lingua italien dicuntur *obbligazioni, azioni, buoni del Tesoro*, etc. »² : immo, quamvis expressa mentio non fiat in Codice, de facto tamen et in praxi hodierna, commutatio etiam titularum nominatorum generatim aequae constituit actum administrationis boni palrisfamilias atque commutatio titularum ad latorem. Quapropter attento can. 1539 § 2, titulis nominatis videtur applicandum adagium *positio unius non est exclusio alterius* »³.

Ad IVum. Supponimus imprimis magnam illam titularum ad latorem quantitatem ab Evodio alienatam excessisse summam trium mil-

* Noldin, *Th. mor.*, De censuris, 1933, n. 101, pag. 91 s.

¹ Teodoiu, *(oc. cil.*

³ Viiomant » *(oc. cil.*; pag. 350 nota.

lionum libellarum; alias enim superflua esset quaestio num ipse inciderit in excommunicationem.

Tunc respondet Ferreres¹, quem Teodori² iterat: « Videtur distinguendum: si tales tituli ad latorem constituent aliquam foundationem (v. gr. Missarum), vel dotem monialis inalienabilem, vel aliquid huiusmodi, tunc huiusmodi alienatio, non secus ac bonorum quorumlibet immobilium, si quae ad similes foundationes pertinerent, subiicitur apostolico beneplacito; secus non subiicitur, sed potius computatur ut pecunia pro occurrentibus necessitatibus impendenda. Quod ex sequenti responso ad casum nostro similem erui posse videtur: Monasterium quoddam monialium magnam titulorum quantitatem possidebat, quos acquisierat ex hereditate delata moniali sollemniter professae. Indicarunt necessariam alienationem ad expensas urgentissimas in monasterio faciendas. Quantitas alienanda exigebat tunc beneplacitum apostolicum pro alienationibus bonorum ecclesiasticorum. Postulatum est beneplacitum Sedis Apostolicae. Respondit Subsecretarius S. C. de Religiosis non requiri licentiam Sanctae Sedis, quia illi tituli non pertinebant ad monialium dotes nec ad legata Missarum, nec repraesentabant bona aliqua immobilia. Responsum ad monasterium transmissum est per Procuratorem Generalem totius Ordinis die 22 maii 1915 ». Est autem ipsemet casus quem nos agimus. Non ergo requirebatur beneplacitum apostolicum.

At id demus, insuper, ex lege canonica requiri. Evodius quidem a lege non eximitur quod alienationis necessitas sit *urgens*; haec enim, ex can. 1530 § 1. praerequirilur beneplacito impetrando. Sed alienatio in casu facta est pro expensis *urgentissimis*. Porro «beneplacitum seu licentia Apostolicae Sedis non requiritur quando occasio occurrit quae non sinit expectare Sanctae Sedis responsum: tunc autem Episcopi licentia requiritur»³ et quandoque praesumpta sufficit⁴. Si erat igitur periculum in mora, non urgebat S. Sedis licentia praevia; potuit etiam praesumi licentia Episcopi. Hoc tamen periculum confessarius ab Evodio exquirat.

Verum, denique, si periculum in mora nullum, adhuc est tertium

¹ (*Crismus conscientiae*, II. 1926, n. 1309 s.

² *f. oc. cil.*, pag. 250 s.

³ Τκοηοπι, *loc. cil.*, pag. 219.

⁴ Iuxta omnes non est locus censurae, uti neque habetur culpa, quando *urgens* necessitas aut *ingens* Ecclesiae utilitas subitam alienationem requirit, quo casu sufficienter consensus Ordinarii, quandoque praesumptus (*Aeht xys-Damen*, 77i. *mor.*, II, 1939, n. 1078, pag. 698).

caput quo Evodius a censura subducitur: beneplacitum enim apostolicum ipse *scienter* non praetermisit: putabat enim, prouti refert, titulos in casu computandos esse ut pecuniam pro occurrentibus necessitatibus impendendam. Demus quidem ipsum laborasse ignorantia; haec non fuit affectata; porro, etiamsi fuisset crassa vel supina, haec eximit ab excommunicatione quae nunc agitur vi can. 2229 § 2 (prout in solutione Casus II iam iam vidimus).

Petrus Lumbreras, O. P.

VIH.

DE DELICTIS CONTRA VITAM

Venantius, studiis in Universitate addictus, cum peccasset cum Evagria, quae exinde prolem conceperat, ne scandalum exoriatur, rogat medicum amicum suum, ut tempore debito interveniat ad fetum eiciendum, ac dein domum paternam cito repetiit.

Hic, a matre pressus, occasione alicuius festivitatis, ad pedes alicuius confessarii se proicit et crimen confitetur. Cum facultatem absolvendi non habeat et cum nesciat an effectus secutus fuerit, confessarius Venantium absolvit ea conditione, ut si postea compererit effectum secutum fuisse hunc casum denuo in confessione accuset.

Post duos annos, ad meliorem frugem conversus, imo reparationem anteactae vitae exoptans, Venantius qui de effectu secuto certior factus fuerat, ordinem religiosum ingreditur, ibique, post annum novitiatus, ad professionem temporaneam et ad primos sacros ordines in eo est ut accedat.

Qua occasione, confessionem generalem instituens, a confessario quaerit an sit irregularis.

Quaeritur :

- 1) Quid de can. 2350 § 1.
- 2) An primus confessarius recte egerit.
- 3) An Venantius nunc impediatur a sacris ordinibus suscipiendis.

Solutio

Ad — Statuit can. 2350 § 1 : « Procurantes abortum, matre non excepta, incurrunt, effectu secuto, in excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam; et si sint clerici, praeterea deponantur».

Antequam dicatur quinam huiusmodi poenas incurrant, aperiendum

est quid veniat nomine abortus et quoniam procurantes abortum vere dicantur.

Abortus est ciccio fetus immaturi (nempe ante vicesimam octavam hebdomadam gestationis) ex utero matris. Animadvertit tamen A. Dalla Volta: « Questa nozione peraltro non è esatta, poichè noi sappiamo che la gravidanza si può interrompere ed il prodotto del concepimento, o più precisamente il feto, può diventare abortivo molto prima di essere espulso. Per questo l'aborto viene generalmente definito dagli ostetrici come l'interruzione della gravidanza in un periodo in cui il prodotto del concepimento non è ancora vitale, susseguita da immediata o più o meno ritardata espulsione del feto »¹.

Abortus contingere natura potest praesertim in quibusdam morbis aut vitio corporis gestantis: et nostra non refert. Contingere et potest arte hominum, quo sub adpectu illum considerabimus.

Dicitur procurare abortum qui mediis physicis ad finem aptis fetum immaturum ex utero matris eicit. Quorum mediorum triplex est genus: alia quippe nec matrem nec filium directe offendunt (v. c. aliquae medicinae, instrumenta mechanica ad dilatandum et contrahendum uterum, irrigatio vaginalis Kiwisch, punctio membranarum fetalium, iniectiones quaedam uterinae etc.)²: in quorum numero recenseas ea omnia quae cum matrem praegnantem dedeant, tum etiam fetum aliquatenus afficiant (uti angustas vestes deferre, immodice saltare vel equitare, nimios et defatigantes labores perferre, balneis quibusdam defatigantibus uti, coitus frequentiores vehementioresque habere etc.)³.

Alia media fetum lanium directe offendunt et suo nomine *embryolomiac* vocantur. Habes quidem *craniotomiam* si caput infantis transverberatur: *cephalotripsiam*, si caput comprimatur: *cephalolomiam*, si

¹ *Treatatu di medicina legale*, Milano 1933, I, pag. 187.

² Quoad medicinas tamen notat Dalla Volta: Non si conoscono farmaci che introdotti nell'organismo a dose conveniente siano capaci di produrre come costante l'interruzione della gravidanza, esercitando la loro azione elettivamente sull'utero, senza produrre lesioni su altri organi e senza accompagnarsi con una sindrome morbosa generale molto grave. In massima si può affermare che l'aborto si può ottenere per questa via, salvo rarissime eccezioni, soltanto a prezzo di una grave intossicazione, molto spesso mortale... Lo studio dei farmaci ad azione abortiva rientra quindi in quello generale della tossicologia forense... Non si può tuttavia escludere, almeno per alcuni farmaci ad azione eccitativa la possibilità dell'evento dell'aborto senza che si manifestino sintomi gravi di intossicazione¹ (op. cit., I, pag. 202 sq.). Il teres autem dilatari et contrahi potest tum ope manuum, tum per materias dilatantes, tum per dilatantes metallicos graduates (v. c. cylindros Hegar).

³ Haec tamen non nisi indirecte in abortum valent, ita ut sola vix ad abortum procurandum satis sint: multum in haec influit mulieris gestantis valetudo: cfr. Dalla Volta, op. cit. I, pag. 229 sq.

caput dividitur: *sphaenolripsiam*, si caput longitudine pluries perforatur: *embriulciam*, si iit fetus decollatio aut eius pectus vel columna vertebralis obtruncatur: *coisceralionem*, si viscera primo extrahuntur.

Alia demum inedia matrem tantum directe offendunt. Per *symphiseotomiam* scinditur fibrocartilago quae duo ossa pubis coniungit, ut fetus expedite eicialur; per *operationes mixtas*, fit symphiseotomia el partus praematurus artificialis; per *parium caesareum* (a matre caes? vel etiam a Caesare qui tali operatione e sinu matris fuisset extractus) uterus ex abdomine aperitur; per *operationem porrensem* (ab Ed. Porro gynecologo) auferuntur uterus el ovaria; per *laparalomiam* (quae tamen est operatio chirurgica communis) abdomen scinditur: tandem per *hysterectomiam* fit amputatio uteri et, non raro, adnexorum, nempe tubarum et ovariorum. His quidem operationibus potest procurari abortus, si nempe fetus sil adhuc immaturus: at non semper abortus procuratur, cum aliquae ex ipsis (v. g. partus caesareus) ad fetus maturi extractionem iusta de causa licite adhibeantur.

Maximi momenti est distinctio inter abortum *directum* et abortum *indirectum*: quae ceterum repetit notissimam distinctionem inter voluntarium directum el voluntarium indirectum. Abortum directe procurat qui intendit abortum procurare et mediis physicis utitur ad finem aptis, iuxta ea quae dicta sunt superius. Indirecte vero abortum procurat qui ponit actionem bonam vel indifferentem (v. g. medicamenta sumit ad valetudinem recuperandam), ex qua sequatur una cum effectu bono directe intento, effectus malus nempe abortus, forte praevisus sed numquam intentus.

Porro abortum directe procurare numquam licet: licet indirecte, ut vita matris servetur. Cuius propositionis prima pars inde patet quod nunquam liceat occidere innocentem, ne ad finem quidem bonum consequendum (unde Innocentius XI damnavit hanc propositionem: «Licet procurare abortum, ante animationem fetus, ne puella, deprehensa gravida, occidatur aut infametur» DB 1181) altera vero pars liquet ex notissimis, ideo hic non repetendis, principiis de liceitate actionis cum duplici effectu.

I nde: A) *In prcagnalione, uterina*: 1) Numquam licet, ne ad matrem quidem servandam (abortus therapeuticus), operationes embrylomicas peragere: sunt enim directe occisivae fetus et proinde obieclive malae. Cum tempore antcacto quidam auctores, nec mediocris notae, dicerent licitam esse embriotomiam in quibusdam casibus gravioribus ac fere extremis, cum infans tunc considerari posset lanquam iniustus vitae matris adgressor: neque ulla superesset spes infantem sospitem fu-

lurum : S. Congr. S. Officii ad dubium : « An tuto doceri possit in scholis catholicis licitam esse operationem chirurgicam quam craniotomiam appellant, quando scilicet ea omissa mater et filius perituri sint : ea contra admissa salvanda sit mater, infante pereunte » : die 18 mai 1881 respondit : Tuto doceri non posse ». Ita pariter in lilt. enc. *Casti con-nubii* Pii XI (DB 1889).

Non parvum tamen negotium facessii, hac in re, ratio agendi medicorum : quorum non pauci, lege civili innixi (quae abortum therapeuticum propter insurgentem statum necessitatis non punit), vix intellegunt illicetatem abortus terapeutici, ubi mater aliter servari nequeat : imo non desunt qui rectam agendi rationem fere inhumanam censeant. Audiatur Dalla Volta : « L'indirizzo attuale della Chiesa cattolica è netlamente contrario alTaborto curativo. Esso non dovrcbbe mai pralicarsi per nessuna indicazione. Questo indirizzo che non corrisponde alla prassi pii comunemente seguita, crea una situazione deonologica delicata »*.

Ili medici (iuxta sententiam Theologorum communem), nisi ex prudenti monitione bonus fructus speretur, in bona fide relinquendi sunt. Quodsi dubii hac de re sententiam confessarii vel sacerdotis exquirant, hic iuxta rei veritatem respondeat, nil de ecclesiae prohibitione innuens, nisi concepte de sententia ecclesiae interrogetur.

2) In casu retroflexionis, retroversionis, descensus et prolapsus uteri, cum propterea mater et filius in summo vitae discrimine versentur, quaerunt Theologi an liceat membranas fetales pungere ut liquidum amnioticum effluat et uterus suo loco reponatur. Haec punctio matrem plerumque salvat, liliu vero necessario interimit. Autumant quidam hanc operationem licere, cum directe in matris salutem tendat, indirecte vero infantis occisionem procuret : liquidum enim amnioticum est quid externum ipsi infanti et est causa retroflexionis uteri. Alii tamen probabilius putant hac operatione directe procurari abortum, cum liquidum amnioticum, per cuius effusionem procuratur salus matris, adeo sil necessarium vitae fetus, ut si totum defluat infans nulla possit ratione superesse : bonum igitur per malum procuretur.

3) Quaesitum est quoque inter theologos an liceat extrahere uterum gravidum, tumore maligno affectum, et ita procurare mortem fetus, nisi aliter matris saluti consuli possit.

Quin argumenta singula pro diversis sententiis exponantur, quae videsis in *Nouv. Bev. Theol.* 1933 n. 6-7 (concertantibus P. A. Gemelli

* *Op. cit.*, 1, pag. 201.

pro illicite, P. A. Vermeersch pro licite), nostro iudicio tenendum est eiusmodi operationem licere, cum mors infantis indirecte tantum ex ea sequatur.

B) *In praegnatione extrauterina* duplex casus contingere potest: aut enim fetus est certus, aut incertus. 1) Si fetus est *incertus* (si nempe dubitatur utrum fetus sit an tumor) expectandum est tempus quo fetus esset saltem praematurus: deinde per laparatomiam extrahi potest: quodsi salus matris id tempus expectari non sinat, extrahatur confestim: hoc enim in casu si mors fetus sequatur, ea non intenditur directe et ex alia parte ius certum matris praevalet dubiae fetus existensiae, eo vel magis quod fetus ectopicus numquam perfectam maturitatem attingit et non est vitalis cum cystis rumpitur.

2) Si fetus est *certus*, aut septimus mensis cadit et licet laparalomia uti: aut septimus mensis nondum advenit et tunc aliis alia sententia: quidam putant laparatomiam licere, quia abortus, si sequatur, tantum indirectus est: alii omnino illicitam eam dicunt, cum salus matris obtineatur tantum per ablationem tumoris qui a fetu certo constituitur. Quid de re ecclesia? Duplex documentum prostat: aliud d. 6 mai 1898, aliud d. 5 marlii 1902: utrumque S. Officii. Primum ex tenore quo fertur videtur respicere solum fetus ectopicos praematuos, qui uni possunt aliqua ratione servari; alterum respicere videtur fetus ipsos immatuos, at cum non ferat adprobationem Ss.mi, multi theologi ab eo in quibusdam casibus recedere non dubitant. En igitur responsa S. Officii. Primum: «Estne licita laparalomia, quando agitur de praegnatione extrauterina, seu de ectopicis conceptibus? B. Necessitate cogente, licitam esse laparatomiam ad extrahendos e sinu matris ectopicos conceptus, dummodo et fetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune provideatur». Alterum: «Utrum aliquando liceat e sinu matris extrahere fetus ectopicos adhuc immatuos, nondum exacto sexto mense post conceptionem? R. Negative, iuxta decretum feria VI, 4 mai 1898, vi cuius et fetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune providendum est» Denz. U. 1890 b, 1890 c.

Prout initio vidimus, in procurantes abortum, matre non excepta effectu sequuto Codex animadvertit censura excommunicationis Ordinario reservata: eos praeterea irregulares facit (can. 985, 4^o). Clerici autem si hoc crimine se maculaverint, debent etiam deponi (can. 2350 § 1)

1 Huius excommunicationis vices iuverit aliquantisper recolare. Per Bullam *Effrenatam* anni 1588 XistusV omnes scienter procurantes abortum fetus sive animati sive inanimati et quocumque modo in hoc consentientes vel praebentes mulieribus venena

Ut tales poenae incurrantur requiritur : a) ut verus abortus habeatur. Itaque nulla poena urget eos qui fetum certo mortuum ex utero matris extrahunt. Nulla pariter poena, iuxta plerosque theologos et canonistas, tenet eos qui embryotomias peragunt: embryotomia enim — ita dicunt — non est proprie abortus et leges poenales sunt strictae interpretationis. Salva tamen reverentia erga tot Lantosque doctores, huiusmodi ratiocinatio subdifficilis semper mihi visa est. Non enim perspicio, crimen et poenam quod attinet, quid discriminis sit inter eiectionem fetus viventis at non vitalis (in quo residet crimen abortus) et occisionem fetus viventis in utero et consequentem extractionem (quae est embryotomia). Unde scribebam : « Ipse vero mihi persuadere potui numquam, cur nam poena plectendi non essent ii qui eundem effectum, mediis forte crudelioribus, obtinerent. Non immerito (quicquid est de medicorum diductionibus) aliqui doctores quum de abortu loquuntur, embryotomias inter media abortus procurandi recensent». Idem tenet Eichmann l. Primmer, quamvis stet pro sententia benigniore, quia abortus est eiectio fetus immaturi, craniotomia vero est occisio fetus maturi (sed craniotomia num fieri nequit pro fetu immaturo ?) : affert nihilominus optimas pro nostra sententia rationes dum ait : « Ille, qui facit craniotomiam, est quidem aequus malus homicida ac ille, qui procurat abortum. Illud incongrue hic comparatur cum occisore, qui infantem proicit in aquam aut suffocat : alter autem similis est illi, qui infantem cultello mactat. Deinde tam in abortu quam in craniotomia habetur eicctio vel extractio occisiva fetus ex utero materno»². Quicquid est, cum

sterilitatis subiccit cunctis poenis quae debentur homicidis: insuper imposuit praesertim irregularitatem et excommunicationem, ipso facto (effectu sequuto) incurrendas quarum dispensationem et absolutionem Romano Pontifici reservavit. Attamen Gregorius XIV per bullam *Sede Apostolica* anni 1591 abstulit irregularitatem et excommunicationem pro abortu fetus inanimati : reliquit vero irregularitatem et excommunicationem Pontifici reservatas pro abortu fetus animati: sed quoad excommunicationem concessit facultatem ab ea absolvendi Episcopis iisque omnibus qui peculiarem deputationem haberent. Pius IX distinctionem fetus inanimati et animati, utpole a doctrina recentiorum naturalistarum alienam, omisit (Consi. 12 ocl 1869, Moguntiae 1890).

Ante Codicem decertatum est inter Theologos et Canonistas utrum poenae excommunicationis subiacerent matres abortum vel procurantes vel procurari permittentes aut non prohibentes. Ratio dubitandi et negandi, ex parte quorundam canonistarum, in eo erat quod Xistus V dum poenas temporales comminatus in procurantes abortum matres aperte commemorabat et comprehendebat : comminatus vero excommunicationem matres concepte non commemorabat. Quin immoremur in tali quaestione enucleanda, quae post statutum Codicis est perspicuae dirempta, quamque videsis in nostro opere *De poenali iure interpretando*, Romae 1939. pag. 95, n. 156, hodie tenendum est matres quoque, si in procurandum abortum concurrant, excommunicatione, uti alios procurantes, puniri.

* Cfr. *Die Zensur im allgem. S.*, n. 176.

• *Theor. mor.* II, 113.

simus in re discussa, nequii urgeri excommunicatio in eos qui embryotomias peragunt, et qui possunt amplius plecti poenis ferendae sententiae in homicidas latis can. 2354.

b) ut abortus procuretur directe, sive per se sive per alium : vel eidem cooperatio detur sive physica sive moralis.

c) ut effectus revera sequatur ex medio quod adhibitum fuerit. Quaeritur inter doctores an excommunicationis poenam incurrat ille quem, antequam effectus sequutus sit, admissi criminis poeniteat, sacramentali confessione instituta. Negat inter alios S. ALFONSUS eo quod, cum delictum perficitur, desit contumacia delinquentis, et sine contumacia poena concipi nequeat¹. Ast alii³ tenent excommunicationem incurri, quia poenitentia remittit quidem peccatum, at impedire nequii quominus incurratur censura propter peccatum ante commissum : aliis verbis poena est effectus non perseverantiae peccati sed criminis ante commissi. Cum prior sententia saltem ab auctoritate S. Alfonsi probabilis dicenda sit, excommunicatio in casu urgeri non potest, dummodo, ut patet, is quem poenitet criminis commissi, omnia faciat quantum in se est, ad removendos pravos criminis effectus.

Ad II^o et III^o. — Peccat Venantius cum Evagria et haec fetum concipit. Ne scandalum oriatur Venantius rogat medicum amicum suum ut tempore debito interveniat ad fetum eiciendum. Nil postea ipse sollicitus est, adeo ut, cum confessionem instituit, nesciat quid interca factum sit. Quaeri potest : sullicilne ille rogatus ad amicum ad constituendum delictum cooperationis in crimine ? Plura essent consideranda quae ex casu vix emergunt : quaenam vis rogandi, quaenam inter rogantem et rogatum necessitudo, quaenam demum rogati propensio ad abortum patrandum etc. Sed ponamus illas preces fuisse ad instar mandati, ideoque Venantium habuisse condiciones subiectivas ad delictum ponendum : quando ad confessarium primum accessit, quid revera accusare poterat, si, uti ex casu deducitur, nil profecto noverat de exitu sui rogatus ? Non solum ignorabat utrum effectus sequutus esset : sed ignorabat quoque utrum amicus medicus abortum procurasset. Supponitur quod confessarius talia petierit et Venantius, congrua diligentia adhibita, talia comperire nequiverit. Solum igitur peccatum erat absolvendum : delictum et consequens poena saltem

¹ *Theol. mor.*, lib. 7, n. 40: S. Doctor quaestionem generalem ponit et solv pro quolibet scilicet delicto.

³ Inter quos, sane plurimos, Noldin (*Theol. mor. : de censuris*, n. 92).

dubia manebant : ideo neque accusandum illud, neque haec remittenda erat. Reapse confessarius, qui ceterum facultatem absolvendae censurae non habebat, ad unum peccatum absolutionem coarctare visus est, onere imposito poenitenli hunc casum iterum accusandi in confessione, si postea compererit effectum sequutum fuisse. Attamen quoad onus confessarius ita distinguere debuisset : si Venantius postea comperisset effectum sequutum fuisse post sacramentalem confessionem inquietandus necessarie non erat, iuxta ea quae dicta sunt ad primum : si vero comperisset effectum sequutum fuisse iam ante confessionem et ideo se innodatum revera extitisse censura, supponendus iterum erat casus ad habendam absolutionem ab excommunicatione.

Ordinem religiosum ingressus, quinimo novitiatu exacto, Venantius confessionem generalem instituens dubitat an ex delicto abortus, factus sit irregularis idcoque prohibeatur ad ss. ordines accedere. Interea noverat effectum ex procuratione abortus sequutum revera fuisse.

Confessarius distinguat oportet. Si effectus sequutus est postquam Venantius primam confessionem instituerit, cum ex supradictis irregularitas non sit certa, Venantius per se non est inquietandus, quamvis forte, expediat dispensationem petere ad cautelam. Si vero effectus sequutus est ante primam confessionem, etsi tantum postea eius certitudo acquisita sit, Venantius et excommunicationem et irregularitatem incurrit. A prima confessarius, si facultate praeditus sit, absolvet (nisi antea alius confessarius, ad quem Venantius satisfaciens oneri imposito accesserit, absolutionem dederit) : pro dispensatione vero irregularitatis Venantius vel per se vel per confessarium, ad S. Paenitentiarium recurret.

Pericles Felici.

DE DELICTO ABSOLUTIONIS COMPLICIS

Alipius, vicarius cooperator, pueris et iuvenibus Associationis Actionis catholicae addictus, inhonestos eosque vehementes impulsus erga quosdam eorum persentit, quibus satisfacit eosdem amplexans sub specie liciti cuiusdam paterni affectus.

Quamvis ideo ipse saepe saepius pollutionem patiat, nullam suae inhonestatis in pueris ac iuvenibus suspicionem excitat (saltem prout ipse animadvertit).

Illis in adiunctis Alipius pueros absolvit non sine aliqua animi anxietate, veritus ne in excommunicationem incidat.

Quaeritur :

- 1) Quid de crimine absolutionis complicis.
- 2) An in casu crimen absolutionis complicis existat.

Solutio

Ad I.,m. — Gravissimum sane et maxime excelsum munus medendi animas per administrationem Confessionis. Sacramentum Confessarius nefasto macularet delicto, qui Sacramentum « quod in salutem et curationem animarum a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, execrabili improbitate in earum perniciem atque interitum » verteret. Propterea, nominatim inde a Const. Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae*, 1 iunii 1741, *Apostolici Muneris* 28 Febr. 1745 ac *Inter praeteritos* 28 Nov. 1749, Ecclesia maxima severitate persecuta semper est sic dictum delictum absolutionis complicis, qua sacerdos complicem in peccato turpi, ut proprium crimen obtegat aut imo, quod

1 Benedictus XIV, Consi. *Sacramentum Poenitentiae* 1 iunii 1711.

peius est, ut occasionem ulterius peccandi facili modo securiorem reddat. in Confessione a peccato secum commisso absolvat. Patent rationes cur iusta severitate Ecclesia contra hunc sacrae potestatis abusum procedat: quia in Confessione sacerdoti complici facta valde timendum est, ne sincera detestatio seriumque propositum iam amplius non peccandi deficiat atque Confessarius munus suum bonam dispositionem poenitentis procurandi non exsequatur; quia ex reviviscentia memoriae peccati communiter commissi faciliter passionis scintilla de novo reacenditur; quia via ad nova peccata aperitur eo quod delicta secreta remanent inter complices nec ulla notitia ad alium Confessarium pervenit; quia denique relatio complicitatis, praesertim si agitur de peccato turpi, maxime repugnat sanctitati Sacramenti, quippe quod relationem secumfert poenitentis ad Confessarium tamquam ad ministrum Christi, qui locum tenet ac vices obit « summi atque aeterni Sacerdotis, (pii sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi » L

Duplici provisione Ecclesia procedit contra delictum absolutionis complicitis sc. can. 881 invaliditate talis absolutionis, et can. 2367 censura excommunicationis specialissimo modo S. Sedi reservata. Hae iuridicae provisiones delictum absolutionis complicitis necnon et sanctiones reducerunt ad quandam formam determinatam et praecisam, eo praesertim quia leges irritantes et poenales stricte sunt interpretandae; non ideo tamen minorem reprobationem mererentur omnes abusus in hac materia, qui quidem stricte sub lege irritante et poenali non cadunt, proxime tamen huic delicto accedunt et sola forsitan malitia sacerdotis iuris sanctiones effugiunt.

1. *Ante omnia perpendendum, quid in iure sit delictum absolutionis complicitis in peccato turpi.* Licet canones definitionem non tradant, satis accurate hodie res describi potest tum ex natura rei tum ex decisionibus auctoritatis ecclesiasticae tum ex constanti doctrina auctorum probatorum. Requiritur peccatum complicitatis in materia turpi et quidem a. *peccatum grave* (quia peccatum leve non est materia necessaria Confessionis) tum *interne* tum *externe* i.e. externa gravis et interne graviter culpabilis laesio VI praecepti. Sub hoc conceptu cadunt non solum actus plene consummati inter duas partes, sed etiam actus incon-

1 Benedictus XIV, *Consi, cti.*

summati seu imperfecti, dummodo sint graviter peccaminosi (uti v.g. tactus impudici et similia, imo etiam sermones graviter inhonesti); S. Off. 28 Maii 1873. Actus externe non graviter impudici a lege non respiciuntur, licet forsitan per accidens occultam delectationem provocent aut internum consensum in eam; deest enim complicitas i.e. mutua conspiratio in gravem deordinationem, uti infra dicitur. Nec de se sub lege cadunt actus externe quidem graviter peccaminosi, sed qui ex quacumque causa subjective peccatum grave non constituunt; in foro Ecclesiae tamen praesumuntur peccata gravia. Deinde notandum: si peccatum externe grave a complice pro peccato levi reputatur, eo quod a sacerdote in errorem fuerit inductus, sacerdos absolvens in sanctionem poenalem incurreret, uti infra exponetur sub III. b. Requiritur praeterea *peccatum complicitatis* et quidem *formalis* i. e. requiritur ut utraque pars mutuo consensu et conspiratione in eodem actu inhonesto conveniat graviterque peccet. Haec conspiratio autem non semper requirit conventionem peccati praecedentem nec etiam activam cooperationem ab utraque parte, sed sufficit quod altera pars ab altera sollicitata peccato consentiat voluntarie non resistendo.

Ad hoc notandum: 1. Peccatum complicitatis adest cuiuscumque sexus sit complex. 2. Etiam peccatum commissum ante sacerdotium receptum obiectum legis constituit, usquedum peccatum ab alio Confessario directe et valide sit absolutum; ita ex resp. S. Poen. 22 Ian. 1879. 3. Idem a fortiori affirmari debet de peccato a sacerdote commissum, (piem complex in actu peccati qua sacerdotem non agnovit (v.g. quia vestibus laicalibus indutum), nunc autem qua complicem cognoscit. Si autem nec in actu peccati nec postea complicem fuisse sacerdotem noverit (licet ipse Confessarius sciat), plures salis probabiliter autumant non esse veram absolutionem complicitatis aut saltem legis sanctiones non applicari vel quia legis omnino deficeret vel quia haberetur excusatio propter periculum gravissimi scandali et infamiae. Quid autem si poenitens novit complicem fuisse sacerdotem, in actu autem Confessionis eum non agnovit, vide infra sub II.

Commissum ideo peccatum complicitatis in peccato turpi Ecclesia iure communi invalidam absolutionem a sacerdote complice datam, eo quod iurisdictionem ei subtrahit; contra sacerdotem autem, qui hoc nonob-

1 Ita post Ballerini-Palmieri, *Opus Theol. morale*, V n. 117, Berabdi, *De sollicitatione et absolutione complicitatis* (1897) n. 481 aliosque, hodie v.g. (appello n. 122. 3; Kegatillo, *Ius Sacramentarium* n. 163; GécicOT-Salsmans II n. 353; Merkelbach, *Quaestiones de Poenitentiae Ministro*, Cap. V Qu 1 η. III 2) b.

stante absolutionem concedit, procedit poena excommunicationis, quam poenam deinde ad plures abusus extendit, etiamsi absolutio complicitis stricto sensu non habeatur. Duo ideo veniunt tractanda : invaliditas absolutionis et poena excommunicationis.

2. *Ininvaliditas absolutionis.* Statuit can. 881 « Absolutio complicitis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo ». Contra quosdam, qui antea putabant absolutionem a Confessario bona fide vel inadvertenter datam (v.g. quia poenitentem ut complicem non agnovit) esse validam, nunc omnino affirmanda est invaliditas; agitur enim de lege non solum poenali sed etiam irritante, a qua ignorantia non excusat¹ (can. 16 § 1).

Magna autem est quaestio inter auctores quousque invaliditas absolutionis se extendat sc. utrum jurisdictionis subtrahatur erga solum peccatum complicitatis an etiam erga omnia peccata complicitis usquedum ille a peccato turpi absolutus sit. Certum quidem est non subtrahi jurisdictionem si poenitens *peccatum complicitatis* sive bona sive mala fide non *confitetur*: ita ex resp. S. Poen. 16 Maii 1877. Attamen, si mala fide reticeatur, poenitens grave sacrilegium committit et absolutio est invalida propter defectum dispositionis; sacerdos autem qui cum scientia sacrilegae reticentiae absolvit, enormis delicti et abominabilis abusus Sacramenti culpabilem se reddit, uti ait eadem responsio.

Si autem poenitens *peccatum complicitatis confitetur simul cum aliis peccatis*, disputatur. Quidam auctores tenent vel saltem ut satis probabile admittunt jurisdictionem tolli erga solum peccatum complicitatis non autem erga alia peccata; consequenter si poenitens bona fide et recta dispositione ad Sacramentum accedit, directe absolvi alia peccata ac indirecte peccatum complicitatis. Quo admissio, ita illi, lex in casu suo fine non privatur, quia semper remanet obligatio peccatum complicitatis, ulpote indirecte tantum remissum, denuo alii Confessario confitendi. Praeterea hoc modo absolutionem concedendo Confessarius illicite ageret et excommunicationem incurreret². Rationes plures adducunt : a. quandam expressionem Benedicti XIV in Const. *Sacramen-*

¹ Verba *ausu temerario* quae in Const. Benedicti XIV inveniebantur, cujusvis interpretatio, hodie in canone iam non repetuntur.

² Ita v. g. Genicot-Salsmans II n. 352; Prümmer III n. 158; Lehmkühl II n. 1203 not. 2; Eanfani IV n. 110 dub. 1; Wolters II n. 110; Aertnys-Damen II n. 102; Noldin III n. 371; Regatillo, *Ius Sacramentarium* n. 160; Coronata, *Inst. Iuris Canonici* IV n. 2090; Jomdani in *Dictionnaire de droit can.* III, col. 1211-1215.

Ium Poenitentiae «sublata quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque personam *ab huiusmodi culpa* absolvendam »; b. praesertim iam laudatam resp. S. Poen. 16 Maii 1877, quae declaravit privationem jurisdictionis. . . esse in ordine ad ipsum peccatum turpe, in (pio idem confessarius complex fuit»; notandum ergo, arguunt: in ordine ad peccatum complicitatis non in ordine ad personam poenitentis. Alii econtra defendunt privationem jurisdictionis se extendere ad totam personam complicitis, quae peccatum complicitatis confitetur, ideoque ad omnia sua peccata. Haec sententia hisce fundatur argumentis: a.) Consi. *Sacramentum Poenitentiae* post verba allata in prima sententia sic pergit «adeo quidem ut absolutio, si quam impertierit, *nulla atque irrita omnino sit*, tamquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit . . . ». Et postea «cum ad hunc effectum et in hoc casu nullus confessarius, utpote qui in huiusmodi peccati *et poenitentis* genere jurisdictione . . . careat »; b.) Instr. S. Off. 20 Febr. 1867 «sacerdoti cuilibet omnis facultas et iurisdictio *ad sacramentales confessiones personae complicitis . . . excipiendas adimitur* ». c.) Can. 881 «absolutio complicitis in peccato turpi invalida est », quae verba omnino absolute sonant ; d. S. Poenitentiarum, (quando absolvit sacerdotem a crimine absolutionis complicitis monere solet, ut complicem forte redeuntem moneat ¶ de nullitate praeteritarum absolutionum». Ita etiam Pius XI in Const. Apost. 25 Dec. 1925 circa facultates concessas occasione lubilaei pro huius criminis absolutione praecipit, ut Confessarius complicem . . . moneat cum de absolutionis a se impertitae invaliditate, tum de eiusmodi confessionibus apud alium confessarium jurisdictione munitum necessario iterandis»', d.) Denique contra resp. S. Poenitentiarum 16 Maii 1877 arguitur primo quod non est approbata a S. Pontifice, ideoque non potuit immutare tenorem Consi. *Sacramentum Poenitentiae* ; deinde responsum agit tantummodo de casu (pio peccatum complicitatis non declaratur in confessione: eo in casu cum subtractio jurisdictionis habetur solummodo ratione peccati complicitatis, lex non verificatur ; hoc autem nullomodo negat jurisdictionem omnino subtrahi, cum peccatum declaratur 2.

¹ AAS. 1925, pag. 615.

- Adiungendum : auctores qui primam sententiam defendunt, resp. S. Poen. 16 Maii 1877 citare solent, uti fecimus in textu, omittentes haec verba «privationem jurisdictionis absolventi complicem in peccato turpi, et *adnexam excommunicationem* quatenus confessarius *illum* absolverit, esse in ordine ad ipsum peccatum turpe...». Attamen ex istis verbis, si valida esset absolutio aliorum peccatorum aequae sequeretur

Rationes pro prima sententia mihi valde solidae non apparent, attamen quod a multis auctoribus magni nominis probabile dicitur, ego condemnare non auderem. Ideo saltem vi can. 209 propter dubium probabile, absolutio erga alia peccata valida haberi potest, indirecte erga peccatum complicitatis.

A lege invaliditatis absolutionis ipse can. 881 excipit *periculum mortis*; quod intelligendum est secundum communem interpretationem periculi mortis in aliis casibus v.g. can. 882. Multi tamen auctores casum exceptionis non ad hunc solum restringunt, sed et alios gravissimae necessitatis allegant in quibus ex epikeia confessarius licite et valide a peccato complicitatis absolveret. Sic satis communiter admittitur casus, quo poenitens propter loci circumstantias v.g. in terris missionum per multum tempus alium confessarium invenire nequit. In tali enim casu magis urget lex naturalis et divina positiva de confessione saltem aliquando recipienda et lex de communione paschali¹. Difficilius sed tamen salis probabiliter a pluribus auctoribus admittitur casus periculi gravissimae infamiae v.g. quando poenitens Confessarium ut complicem non agnoscit, isque absolutionem denegare non posset quin seipsum proderet cum gravi sua infamia et poenitentis scandalo^{*}. Quidam auctores in hisce casibus gravissimae necessitatis peccatum complicitatis directe absolvi posse censent, sicut in periculo mortis: quia propter epikeiam lex vigere cessat. Alii autem rectius putant indirecte solummodo absolvi, quia vis epikeiae se non extendit ultra id quod necessarium est: atqui hoc in casu sufficit indirecta absolutio. In secunda opinione remanet ergo obligatio a parte poenitentis peccatum denuo alteri Confessario confitendi. Auctores supracitati, qui iurisdictionem nunquam tolli erga alia peccata autumant, evidenter in casibus

in casu censuram non incurri. Quod tamen negant omnes et iuste, quia secus tota vis legis omnino destrueretur. Pauci sunt auctores, qui secundam sententiam tenentes, primam omnino rescindunt; ita Dr. Ssni, *De absolutione complicitis et sollicitatione* n. 15 sqq.; Mehkelibach, *77iro/offi« Mor. Ht* n.63-1 et *Quaesi. de Poenitentiae Ministro* Cap. X Qu. 1 η. VI: ad illam valde inclinatur Capello n. 119.

¹ Negat tamen Mehkelibach n. 635 et *Quaesi. de Paen. Ministro* l. c. η. VII, quia canon unice admittit periculum mortis, quod eodem modo vi legis superioris dici posset a lege eximi ex epikeia et tamen explicite enumeratur. Et animadvertit: ¹ Imo, ad bonum commune omnino importat ut missionarii qui ob speciales circumstantias maiori exponuntur periculo, non sibi nimiam noscant facilitatem absolvendi complicem et corrigendi consequentias sui peccati. Omnes autem admittunt poenitenti consulendum esse, ut tantum contritus ad S. Eucharistiam accedat.

¹ Stante disputatione has opiniones in praxi tuto applicari posse plerumque censent Mehkelibach, *Gappel* x o, n. 425; Di Smet op. dt., n. 12; Aet nys-Damen II n. 401 et 103 qu. 3.

necessitatis solummodo curant de liceitate absolutionis, quam adesse dicunt propter necessitatem : ideoque censuram non incurri.

3. *Excommunicatio*. Delictum absolutionis complicitis a iure plectitur censura excommunicationis specialissimo modo S. Sedi reservata, ipso facto incurrenda. Haec poena semper incurritur, cum poenitenti *invalidè* absolutio a peccato complicitatis impertitur. Attamen poena *multo latius se extendit quam invaliditas*, ita ut etiam absolutio valide data saepe excommunicationem secumferat. Iam statim dicendum, sicuti supra notavimus, excommunicationem incurri etiam istos auctores admittere, qui indirectam absolutionem peccati complicitatis accipiunt ; ad censuram incurrendam sufficit *illicita* absolutio. Attamen etiam relicta hac opinione, etiam ipsa Ecclesia ex proposito poenam latius extendit, eo line ut, in quantum possibile, omnes viae confessario indigno praecluderentur per quas rigorem legis malitiose evadere conaretur et ita delictum suum tegi vellet cum damno poenitentis vel abusu Sacramenti.

«) Dicit can. 2367 : « Absolvens (evidenter intenditur : lentans absolvere) vel *fangens* absolvere complicem » ; quod fieri potest v.g. formam non recte pronuntiando vel intentionem contrariam eliciendo. Haec fictio autem intenditur (pia ipse poenitens in errorem ducatur, qui se nunc valide absolutum censeret: non incurritur censura, si Confessarius non volendo absolvere de consensu poenitentis aliqua verba cum benedictione super eum pronuntiet, ut pro astantibus dissimulet denegationem absolutionis.

b) Excommunicationem incurrit, qui in periculo mortis valide quidem sed illicite complicem absolvit. Quandonam illicite absolvatur ipse can. 2367 determinat sc. « si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exortura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri ». Si ergo alius sacerdos adsil vel absque gravi incommodo advocari possit isque confessionem excipere velit, sacerdos complex illicite absolutionem impertiret; nisi minaretur periculum scandali vel infamiae sive moribundi sive etiam sacerdotis complicitis i.e. non coram altero confessario, quippe quod tegitur secreto confessionis, sed coram aliis astantibus, (pii suspicionem de delicio haberent eo quod sacerdos complex confessionem excipere non vellet. Iste autem obligatur periculum huiusmodi scandali vel infamiae amovere in quantum potest ; secus excommunicationem incurreret. Quia tamen lex ex suo rigore non vult poenitentem in extremo momento damnum spirituale contrahere, ipsi plenam libertatem concedit apud sacerdotem complicem

confitendi, etiamsi nullum periculum infamiae adsit; sufficit eius reluctantia peccatum suum alteri agnoscere. Caveat tamen sacerdos complex ut hoc privilegium ei suggerat; censuram enim in casu non effugeret.

c) † Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est». Uti iam sub I. notavimus absolutio in casu a parte confessarii est valide concessa et etiam a parte poenitentis valide recepta, si reticatum fuerit peccatum bona fide. Si autem ista reticentia nullo modo a confessario suggesta est, nulla poena incurritur licet confessarius sciat peccatum laceri. Incurritur autem si poenitens ad tacendum inductus sit a confessario complice. Hic tamen duo casus sunt distinguendi: 1. agitur de *vero peccato complicilalis* sc. peccato gravi interne et externe ab utraque parte; sed post peccatum grave commissum sacerdos inducit poenitentem ne sibi explicet peccatum in confessione. Hoc facere potest *directe* si clare ei dicit peccatum iam sibi declarari non debere v.g. quia iam illud cognoscit et melius de hac re in confessione non loquitur; *indirecte* suggerendo aliquam rationem ex qua facile sequitur peccatum non debere explicari v.g. dicendo rem commissam non fuisse gravem, (cfr. etiam S. OIT. 19 Febr. 1896). In hisce casibus clare incurritur censura. 2. *non agitur de vero peccato complicilalis* in sensu traditionali sed de casu quo « sacerdos sive intra sive extra confessionem sacramentalem alicui persuaserit in turpibus inter se *patrandis* aut nullum aut certo non grave inesse peccatum » ac consequenter poenitens peccatum istud non confitetur (ita ex S. Off. 16 Nov. 1931). Propter falsum consilium sacerdotis poenitens graviter non peccavit, ideoque nec etiam obligatur actum suum in confessione declarare. Sed tamen auctoritas ecclesiastica hanc indirectam inductionem eadem excommunicatione punit, si post delictum suum commissum sacerdos complices confessionem audiat. Haec legis extensio utilitate revera non caret, quia praeservat sanctitatem Sacramenti et aliquam probabilitatem semper secumfert quod sacerdotis delictum non omnino obtegatur quo via ad ulteriora delicta pateret: faciliter enim poenitens in proxima confessione, nonobstante malo consilio sacerdotis complices, aliquod scrupulum sentiet et alteri confessario communicabit, praesertim si sacerdos complex obligatur ei monere, ne apud se confiteatur. Practice, ne sacerdos complex censuram incurrat, requiritur ut primam post peccatum commissum confessionem complices non audiat; postquam iste apud alium confessus est, absque sanctione iuridica eum audire poterit, quamvis

forsan poenitens apud alium peccatum complicitatis non declaraverit. Supponi enim non potest confessionem talis poenitentis pro semper cadere sub sanctione canonica¹.

Ad Quae supra sunt exposita de absolute complicitatis pro solutione casus satis superflua apparent. Absque dubio enim constat sermonem de peccato complicitatis in peccato turpi esse non posse, cum deficit gravitas externa peccati, deficit complicitas. Quaestio de excommunicatione incurrenda exurgere posset solummodo, si iuvenes isti suspicionem de peccato non haberent, eo quod Alipili eos persuaserit in actibus suis peccatum non esse. Quod e casu non eruitur nec facile erui potest; difficile enim supponi potest illum omnes istos iuvenes tali modo in errorem induxisse, quin ullus de serietate rei suspicionem haberet. Ideo Alipii animi anxietas dementaris cognitionis iuris canonici defectum tradebat.

IOANNES VISSEB C. SS. R.

¹ Satis fundata hodie est opinio ablationem jurisdictionis in ordine ad peccatum turpe in complicitate commissum cessare postquam illud ab alio Confessario directe remissum est. Attamen valde commendandum est. ut sacerdos pro semper abstineat a confessionibus complicitatis audiendis; relatio enim complicitatis obstat relationi confessorii erga poenitentem in Sacramento atque ex renovato contactu confidentiali renovatum periculum exurgere posset. Propterea S. Poenitentiarum sacerdoti qui complicitatem absolvit solet imponere, ut in futuro ab eius confessione abstineat, quantum citra grave scandalum potest; de invaliditate nullum verbum. Cfr. etiam S. OII. 29 Maii 1867.

DE DELICTO SOLLICITATIONIS RELATE AD « AMPLEXUM RESERVATUM »

Hadrianus, cuius uxor indicio periti ac probi medici gravissimum vitae periculum est obitura, si adhuc pariet, ad poenitentiae sacramentum accedens, Ianuario confessario, suae uxoris infirma valetudine exposita, multa ac gravia peccata contra sanctitatem matrimonii a se commissa confitetur.

Ut ei auxilium praebeat, Ianuarius declarat in huiusmodi rerum adiunctis nullam esse culpam, si ipse actum conjugalem perficiat, seminationem, quantum possit, cohibendo, idem uxori quoque suadendo, etiamsi per accidens nonnumquam seminatio ipsa interveniat, dummodo eandem non intendat; eum tali modo tactum inhonestum tantum peragere, qui tamen conjugatis ad mutuum amorem ostendendum licitus sil. suadentibus nonnullis etiam recentioribus auctoris magni nominis; praeterea iuxta doctrinam omnium in theologia morali peritorum leges incommodo extraordinarie gravi non obligare.

Quam agendi rationem Hadrianus, grato animo per aliquot annos secutus est. Sed cum dein Ianuarius decretum Sacrae Congregationis S. Officii perlegeret «de amplexu reservato» cogitavit an criminis sollicitationis reus esset; proindeque Hadriani confessiones amplius audire vitat.

Similem quaestionem sibi proponit Anselmus, novus confessorius cui Hadrianus accedit modum usitatum sese gerendi denuntians ex prioris confessorii consilio dubitaturque an nunc Hadrianum monere debeat de obligatione Ianuarium intra mensem denuntiandi loci Ordinatio sub poena excommunicationis (can. 2368 § 2).

Quaeritur;

- 1) Quid de crimine sollicitationis.
- 2) Quid de monitu S. Officii diei 30 iunii 1952.
- 3) Quid ad casum.

Solutio

Ad I^{am}. Quid de crimine sollicitationis. Quin possumus hic omnia, quae de crimine sollicitationis apud canonistas et moralistas habentur, synthetice colligere aliqua tantum proposuimus.

In primis iuvat perpendere distingui posse inter *peccatum* et *crimen* sollicitationis. Potest enim evenire, quod aliquando non habeantur omnia elementa criminis in sensu iuridico et tamen elementa peccati sollicitationis adhibitae habeantur. Et inde evenit, quod omne crimen sollicitationis supponat peccatum; sed non viceversa. Porro ista sollicitatio *sensu generico* potest retineri qualiscumque *actus* (non necessario in sensu iuris poenalis intelligendus) ex (pio alius occasione confessionis posset induci ad peccandum contra sextum. Et revera haec distinctio utilis est proprie in relatione ad nostrum casum, de quo videbimus infra; et etiam ut intelligatur, cur solum tarde definiatur crimen sollicitationis, sed iam semper prohibitum fuerit peccatum sollicitationis.

1. — *De peccato sollicitationis.* Constat de facto quod in fontibus, etiam antequam delineatum fuisset crimen sollicitationis cum relativis poenis, iam delineabatur peccatum sollicitationis, scii, de incitamento ad turpia occasione confessionis. Illa e.g. iam in prima medietate saec. XIII ipse Ioannes de Tervisio scribebat. «... An virgo a sacerdote suo luxuriose *sollicitata* potest differre confessionem *propter scandalum proprium*, quamvis instet dies paschae. Respondeo: Non; sed debet confiteri cum videtur a populo vel ducat secum patrem vel matrem. *ne sibi posset violentia fieri*»¹. Uti apparet, hic sermo lit de proprio sacerdote (cui antiquitus iungebatur ordinarie confiteri) a quo mulier *sollicitata* (nota verbum) fuit luxuriose (agitur ideo de sollicitatione ad turpia) et de ipsa virgine quae adhuc limet occasione confessionis annuae *scandalum*, scii, incitamentum ad eadem turpia, habere; imino textus loquitur de *violentia*, (piae ab ipso sacerdote poterat fieri. Sed

¹ Cfr. I. Ohteo-Umixk. *De delicto sollicitationis. Evolutio historica. Documenta. Commentarius* (The catholic University of America Canon Law Studies X. 289] Washington D. C. 1934, pag. 3 ss.

² Ioannes de Tervisio, *Compendium Theologiae* (Ms. Vol. lai. 1187. f. 61d). Idem tamen casus consideratur et eodem modo solvitur iam antea apud Guillelmum Antisiodorensem, *Summa aurea* Parisiis, s. a. lib. IV, tr. 5, c. 5, f. 19b; et apud Huonem de St. Cher, in *IVm Sent.*, d. 17 (Ms. Val. lut. 1098, f. 161a). Hos similiaresque textus utile fuisset, ut in citata dissertatione P. Ortega-Iixk colligerentur et exponerentur.

lune temporis non aderat aliqua sanctio canonica universaliter vicens pro sacerdote sollicitante¹; et ideo non possumus, saltem cum Iermiologia iuridica hodierna, de crimine sollicitationis (cfr. C. I. C., can. 2195) in illo casu loqui; sed potius de peccato sollicitationis. Nemo enim, etiam tunc temporis, negare poterat illum sacerdotem, ita facientem, non peccare. Tunc enim temporis, ubi dabantur regulae circa modos se gerendi in confessione cum poenitentibus, monebatur ne ipsa confessio esset occasio ruinae vel scandali poenitentis, sed potius salutis et resurrectionis. Scribit enim Raymundus de Pexafort in sua famosa *Summa*: « Post hoc audiat simpliciter confessionem suam, qua audita, incipiat interrogare ordinate, et distincte, ut supra, consulo tamen, quod in interrogationibus non descendat ad specialia peccata, et ad speciales circumstantias; quia multi forte post nullas tales interrogationes delinquerent, qui etiam aliter nescirent cogitare »². Licet generalis sit haec pro confessariis animadvertentia, tamen a fortiori valere poterat, etiam tunc temporis, relate ad modum se gerendi in interrogationibus circa turpia, ne ipsi poenitentes occasionem arriperent delinquendi. Quae tamen decencia servanda est ab ipso poenitente ut annotat Glossator Raymundi³: « Credo quod sufficit exprimere peccatum per honesta verba, ut dormivi cum illa, aut cognovi eam; nec debet confitens loqui turpiter, ut ribaldus ». Quando autem posteriores Summis lae commendant, ut confessio sit discreta intelligunt hoc non tantum ex parte conitentis, sed etiam ex parte confessoris, speciatim quoad peccata carnis et relate ad puellas: ita e.g. *Summa Armilla* habet sequentia: « Septima conditio, debet esse discreta, id est prudenter facta, ut verbis honestis explicentur peccata, et circumstantiae, et maxime in peccato carnis... et confessor in examinando, et praecipue puellas, etc. »⁴. Et paulo inferius in ipsa *Summa Armilla* legitur: Tertio debet esse prudens, poenitentem instruendo, interrogando, hortando, animando ad spem, etc. *sobrie investigando, ne seipsum in tentationem praecipitet, et poenitentem doceat peccata quae ignorat, praecipue circa materiam Venereorum. Inde habita ultima specie peccati, non ultra procedat, verbis etiam honestis interroget...* »⁵. Et sic etiam

¹ Pro historia et tempore particularium legum circa sollicitantes poenam comminantium cfr. Ohtega-l'Iivk, *up. cil.*, 11 ss.

² IYmi vin s De Pesakoht, *Summa tie poenitentia*, lib. 3, *ile poen. et rem.*, 30 cd. Bomae 1603, pag. 465b.

³ Cfr. istam glossam in citata editione *Summae* Baymundi, p. 460b.

⁴ B. Limis, *Summa Armilla*, sub voce: *Confessio*, n. 16, cd. Lugduni 155 L pag. 151.

⁵ *Ibidem*, sub voce: *Confessor*, n. 3, pag. 156b.

Summa Sylvestrina habet sequentia: «Tertio, ut de peccatis praecipue carnalibus non descendat nimis ad particulares circumstantias: quia huiusmodi delectabilia quanto magis in speciali considerantur, tanto magis concupiscentiam nata sunt movere: ut dicitur 3. Ethi. et ideo potest contingere, ut confessor talia quaerens et sibi et confitentibus noceat. Hi textus saltem indirecte confirmant, quod moralistae, etiam praetermisso delicto criminis in sensu stricto, iam docebant confessarium (piam maxime prudentem et discretum esse oportere in confessione praesertim puellarum et in interrogationibus circa sextum, ne ipsa confessio esset occasio peccati sive pro se sive pro poenitente. Hoc modo etiam bene intelligitur quomodo historice verum dicat moderna instructio S. Oficii 16 maii 1913: «Ecclesia numquam omisit omne studium atque sollicitudinem adhibere ne Sacramentum poenitentiae * quod post amissam baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfugium, ne per daemonum fraudem, et hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam, naufragis ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium† (Const. Benedicti XIV «Sacramentum poenitentiae») et quod in animarum salutem institutum est, in earum perniciem atque sacerdotalis sanctimoniae et dignitatis detrimentum per hominum inconsiderantiam vel levitatem quomodocumque vertatur»‡. Iuvat annotare quod in instructione dicatur *Ecclesiam numquam* omisisse studium de hac re: hoc verum est non tantum quatenus Ecclesia poenas connexuit delicto sollicitationis, quae tamen non ab initio fuerunt; sed quatenus Ecclesia semper ut peccatum damnavit sollicitationem ad turpia praesertim occasione confessionis. Et ideo etiam in hac citata instructione S. Oficii praecavetur non tantum ut confessarii incidant in delictum sollicitationis; sed etiam ut adhibeantur traditionales cautelae praesertim in confessione mulierum et relate ad peccata turpia. Negligere considerate illas normas potest evadere grave peccatum licet revera nullam sollicitationem in sensu delicti intendatur; et licet de facto non verificentur omnia elementa delicti.

Potest quis mirari de ista distinctione, praesenti disciplina, inter *peccatum* sollicitationis et eius *delictum*. Sed possunt enumerari casus in quibus etiam hodie potius agitur de peccato sollicitationis quam

1 Sylvester Prieras, *Summa*, sub voce: *Confessor*, IV, 17. ed. Venetiis 1578, pag. 1421). Et adiungitur: «... Et ne discat peccare, et ne ipse (peccator] vel Confessor provocetur ad malum; quibus etiam adde, nec etiam per plateas recitentur interrogationes de turpibus factae imprudenter».

2 Cfr. in *Monitore ecclesiastico*, 68 (1943) 16; c in *Collectanea Mechliniensia*, 10 (1946) 77.

de delicio. E. g. potest quis *interne* desiderare sollicitare dicendo aliqua poenitenti, quae tamen natura sua et obiective apta non sunt illum quoque modo sollicitare ad turpia. Tunc ipse confessarius *interne* quidem *peccavit graviter* in illo desiderio, et tamen non incurrit in delictum sollicitationis. Similiter aliquis confessarius consulit aliquid quod non sit graviter culpabile circa sextum, uti sunt aliqui actus coniugum et, ut putatur ab aliquibus, ipse amplexus reservatus, de quo diffusius infra. In hoc casu confessarius, qui scite et voluntarie attamen pudicissimis verbis incitavit ad aliquid, quod reputatur tantum leve peccatum contra sextum, revera peccavit incitando ad peccatum, licet leve, in ipsa confessione, quin tamen incurreret in delictum sollicitationis, quod, ut communius docetur, supponit aliquod incitamentum ad *peccata gravia* contra sextum

Si autem quaeras de fundamento peccati sollicitationis, iam illud invenies non solum in ipsa sanctitate sacramento debita; sed etiam in ipso generali principio de scandalo quomodocumque vitando. Sed si tu adhuc obicis, quod sicut non semper est scandalum loqui minus honeste cum personis quae habitum habent talia audiendi ita etiam posset fieri in confessione; tunc respondeo, quod comparatio non valet, sive quia sacramentum poenitentiae postulat sanctitatem et dignitatem quam maximam, uti animadvertunt ipsa monita S. Officii¹, sive quia positive graviter Ecclesia praecipit ne ipsi sermones curiosi habeantur in confessione etiamsi scandalum desit² Praecipit enim can. 888, § 2: « Caveat omnino ne complicitis nomen inquirat, ne curiosis aut inutilibus quaestionibus, maxime circa sextum Decalogi praeceptum, quemquam detineat... ». Illae videntur sufficere ad explicandum quomodo etiam peccatum sollicitationis sive historice sive practice latius pateat quam ipsum delictum in sensu iuridico. Et consequenter bene attendendum est quod aliquis potest esse reus peccati, etiam quando forsan non incidit in delictum.

2. *De crimine sollicitationis.* Non insistimus in inquirendo (piando revera in legislatione canonica primitus delictum sollicitationis delineatum fuerit. Adest de hoc particularis monographia iam supra citata |

¹ Cfr. Ortega-Uhink, op. cit., pag. 173, 176 ss.

² CAr. monita 16 mail 1943 cl 30 inii 1952.

³ Cfr. etiam fontes can. 888, § 2 apud *Iuris Canonici Fontes* cura Em. P. Card. Gasparri editi. Romae 1923-1939.

⁴ Cfr. Ortega-Uhink, *De delicio sollicitationis...* Washington 1954, pars I.

quam etiam iuval inspicere ad conspectum habendum de variis documentis, etiam schematicè per critérium temporis ordinatis, quae auctoritas ecclesiastica edidit¹.

Codex Juris canonici duobus in canonibus de delicto sollicitationis agit. Et quidem in can. 901 dicitur: « Ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae* l. lun. 1741, debet poenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis, intra mensem denunciare loci Ordinario, vel Sacrae Congregationi S. Officii; et confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere poenitentem monere ». In can. autem 2368 enuntiantur poenae pro sollicitante confessario et pro poenitente, qui omiserit denuntiationem. Uti patet in neutro canone describitur ipsum delictum sollicitationis; immo neque generice determinatur sollicitatio saltem verbis «ad turpia», quae forent utilia; sed unice remittitur ad constitutiones de hac re iam datas a S. Sede et nominatim ad illam Benedicti XIV. Remittitur ad alias constitutiones; ergo non ad unam tantum ut faciunt aliqui auctores, qui praeter constitutionem Benedicti XIV citant solum illam Gregorii XV « Universi »; dum e contra etiam aliae dantur constitutiones, (piae se referunt ad delictum sollicitationis. Insuper hic est unus ex casibus in quo C. I. C. repetit expresse vetus ius; et ideo regula can. 6 prae oculis habenda est ut ait Obtega-Uhink 1. Can. 6 loquitur de canonibus, qui ius vetus ex *integro referunt*; hic proprie in canone non refertur ex integro ius vetus; sed potius ad ius vetus e*ri* *integro remittitur*; quamvis in Codicis appendicibus ex integro referatur sola Constitutio Benedicti XIV non vero aliae constitutiones, neque aliae declarationes, resolutiones, litterae, decreta, responsiones, epistolae, edicta, rescripta, instructiones. Quae omnia licet neque in fontibus *luris Canonici* semper commemorentur, tamen iuxta can. 6 inservire poterunt et debent ad ipsum delictum sollicitationis melius intelligendum et interpretandum; immo aliqua ex illis documentis vim legis habent 3.

Quantum ad substantiam ipsius delicti sollicitationis, quin possumus hic referre ea omnia, quae canonistae et moralistae de ipso scripserunt, opportunum existimavimus aliqua tantum commemorare, quae magis

¹ *Ibidem*, pagg. 279-281.

³ *Ibidem*, pag. 137.

³ *Ibidem*, pagg. 130-139, ubi etiam quaestiones aguntur de valore actuali fontium.

inserviunt ad nostrum casum solvendum, quatenus prius necessarium est considerare quid doceatur in doctrina.

Species facti nostri casus supponit aliqua in doctrina et iure prius declaranda. Et *primo* declarandum est, num confessarius, (pii bona fide et intentione aliquid consulit coniugibus, quod putabat licitum, licet erronee, incurrerit in delictum sollicitationis. Similarem casum solvit .Ione¹, cuius solutio occasionem dedit objectionibus, quibus respondet ipse .Ione². Attamen in *Apollinaris* contra solutionem a .Ione datam Dalpiaz solvit sustinendo ibidem non agi proprie de delicto sollicitationis, in quo semper requiritur dolus seu malus animus ad turpia inducens et quia aliud est *docere* et aliud est *inducere*. Scribit enim: «Sed inter *docere* aliquem et eum *sollicitare* magnum adest discrimen, cum sollicitatio natura sua dolum continere seu turpem affectum ostendere et

¹ II. .Ione, (*Missbrauch (der Eile und Sollizitation)*) in *Theol. prakt. Quarlalsch.*, 85 (1932) 120-125: Hic habetur enarratio casus prout postea describitur ab ipso Dalpiaz, de quo infra et prout etiam nobis ultimo propositus fuit, licet cum aliquibus differentiis, ut suo loco dicemus. Ipse .Ione, in solutione fundatur praesertim in auctoritate alicuius responsionis S. Pœnitentiarie, 2 Sept. 1901. (piam tamen desumpsit ex Cappello, quique sua vice ab aliis desumpsit. Solutio casus sic concluditur a .Ione. *l. c.*, pag. 125: «Man wird also sagen müssen, die Sollizitation könne explicite und implicite begangen werden. Explicite ist die Sollizitation dann vorhanden, wenn der Beichtvater das Beichtkind absichtlich zu einer Sünde gegen das sechste Gebot veranlasst. Implicitamente aber liegt eine Sollizitation vor, wenn (der Beichtvater zwar nicht ausdrücklich beabsichtigt, das Beichtkind zur Sünde gegen das sechste Gebot zu veranlassen, aber sich so benimmt, dass sich ganzes Betragen oder sein Betragen so beschaffen sind, dass sie ihre ganze Natur nach das Beichtkind zu Sünden gegen das sechste Gebot veranlassen oder es darin bestärken. Hieraus folgt, dass auch im oben angegebenen Fall licet Müller unter Strafe der Exkommunikation (vgl. can. 2368, § 2) zur Anzeige verpflichtet ist und dass Sempronius die schwere Pflicht hat (vgl. can. 901), das Beichtkind darauf aufmerksam zu machen»

² In eadem enim ephemeride. *l. c.*, pagg. 336-311 .Ione respondet etiam sequentibus objectionibus: «I. «Die in der letzten Nummer angeführte Entscheidung vom 2. Sept. 1901 handelt überhaupt nicht von der Anzeige wegen Sollizitation; (der Priester muss vielmehr angezeigt werden wegen seiner Unwissenheit in der Moral, die außerdem sehr schädlich ist)». Cui objectioni respondet cum Cappello et Actnys Damon in illa responsione S. Pœnitentiarie revera agi de crimine sollicitationis. Hoc tamen denegat Dalpiaz, uti videbinus infra. Necessarium esset igitur bene cognoscere quaesitum ipsum cui illa responsio S. Pœnitentiarie dirigitur, ut aliquid forsitan educi possit. Proh dolor omnes auctores, (pios consulimus, dependent unus ab altero. Immo ipse H. Batzill, *Decisiones Sanctae Sedis, de usu et abusu matrimonii*; Romae 1911*, qui pag. 33 refert istam responsionem S. Pœnitentiarie nihil annotat nisi «Buccellioni, *Instit. theologiae moralis* vol. I, cd 6a, 1911: n. 813, pag. 595. Personaliter inspeximus *Acta Sanctae Sedis* illius anni et *Il Monitore ecclesiastico* eiusdem temporis et nihil invenimus. .Ione insuper refert sequentem objectionem: «2. Die Anzeige muss enstaltet werden, weil ein *delectus in fide* vorliegt; et etiam objectionem: * I. Der Priester muss nicht angezeigt werden, weil der *hose Wille* fehlt; ausserdem ist er vntschuldigt durch seine *Unkenntnis*. Sed iuvat perlegere quomodo ad istas objectiones ipse .Ione respondeat, praesertim ad istas ultimae, ut inde appareat .Ione iam cognovisse substantialiter objectionem. quam postea ej movet denuo Dalpiaz, de quo infra.

ad turpem affectum provocare includat »¹. Non desunt tamen auctores moderni, qui, insci fortasse huius disputationis in solutione, adhuc tali modo solvunt casum, ut potius cum Jone concordent. ² Delictum sollicitationis adesse consequenter et a fortiori admittere debent Jone alique, cum ipso concordet, in casu quo confessarius *scienter* audeat docere licitum quod est illicitum circa sextum etiamsi in ipso confessario desit expressa intentio poenitentem sollicitandi vel etiamsi de facto poenitens non sollicitetur. E. g. si quis doceat onanismum esse licitum cum sciat esse *moraliter et graviter illicitum* tunc ille esset denunciandus, etiamsi ille non habeat intentionem poenitentem sollicitandi ad turpia. ³ Praefati auctores ordinarie sequentibus possunt moveri argumentis in isto secundo casu. Voluntas *praesumitur*, etiamsi interne non intendatur, quando quis *externe et scienter* poenitenti declarat aliquid licitum circa sextum quod cognovit esse illicitum. Obiective enim illa verba incitare possunt ad peccata contra sextum, licet de facto illa incitatio neque intenta fuerit neque de facto evenit. Requiritur utique quod actus confessarii sit plene *voluntarius* ad incurrendum delictum, sed non requiritur ut *expresse intenderit sollicitare, dummodo intenderet aliqua falso docere, quae obiective possent alios sollicitare*. Videtur enim quod constitutio *Sacramentum poenitentiae* distinguat inter illos confessarios qui *lentaverint ad inhonesta et turpia sollicitare, vel provocare* (in quibus evidenter supponitur semper scientia et voluntas sollicitandi) et inter illos qui cum poenitentibus *illicitos et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint* | : sufficit ut ipsi confessarii *scienter et ausu temerario* aliqua dicant, quae natura sua tendant etiam ad sollicitationem ad turpia, independenter a voluntate sollicitandi. | haec voluimus exponere ad uberius intelligendas oppositas solutiones; non vero ad nostram praefertentiam pro una alterave solutione ostendendam. In casu vero quo quis *erravit* indicando licitum quod est revera illicitum, licet Dalpiaz teneat non adesse de-

| V, Dalpiaz, *De abusu matrimonii et crimine sollicitationis*. in *Apollinaris*. 17 (1933) 217. (Luius e solutioni adhaeret ipse Ohtkga-I'iiink op. cil.9 pag. 105.

- Cfr. c. g. M. Conte A Cohonata, *Institutiones iuris canonici. De Sacramentis tractatus canonicus*. 1, Romae 1942, p. 115, n. 427: «Committit delictum confessarius qui poenitentem *docens*, ei licita declarat quae sunt peccata gravia contra sextum, ut, e. g., si interrogatus de licitate onanismi, fornicationis, masturbai ionis haec omnino | licita declarat». Etiam hic remittitur ad citatam responsionem S. Poenitentiariae, (juin, ut apud alios, declaretur fons officialis. Et pro corroboranda sua sententia citatur etiam Prümmer, et Mar-Gcstermann-Raus.

³ Cfr. notas praecedentes, ubi referuntur auctores, qui reum delicti sollicitationis retinent etiam illuni qui hoc ignoranter fecit, ut ipse Jone admittit.

| Constitutio Benedicti XIV. *Sacramentum poenitentiae*. Sed dubium venit num consilium de re turpi facienda ignorantibus datum, *honestis* omnino verbi, comprehendatur in illis *illicitis et inhonestis oerhis* de quibus loquitur Constitutio.

licitum sollicitationis, cum non adsit non solum voluntas sollicitandi sed etiam desit advertentia ad falsitatem suae doctrinae, tamen admittitur obligatio denuntiationis. Scripsit enim ipse Dalpiaz: «Ultero concedimus Titium errasse et quidem ex ignorantia graviter culpabili, adeo ut ipse denuntiandus sit loci Ordinario, non tamen tamquam confessarius sollicitans, sed tamquam confessarius ineptus, qui ob scientiae defectum in Theologia morali in incessanti periculo versatur poenitentiae sacramento gravem iniuriam et animabus magnum damnum inferendi»¹ Tamen in isto casu si poenitens renuat hoc faciendum non incideret in censuras statutas a Can. 2368, § 2 quia non ageretur proprie secundum Dalpiaz de delicto sollicitationis.

Licet ergo concludere auctores esse concordēs in obligatione denuntiationis, non vero sub quo titulo illa sit facienda. Aliqua diffusius exposuimus pro relatione, quam praedicta habent cum solutione casus, nobis propositi.

Quaeri etiam potest *secundo*, num confessarius, qui scienter non condemnat in poenitentibus actus, qui sunt certe graves contra sextum, incurrat in delictum sollicitationis. Non videtur, quia hic agitur de pura omissione; in Constitutione vero sermo iit de aliqua actione positiva ex qua sollicitatio sequi posset. Licet enim aliquando, qui tacet consentire videtur, tamen quia in hoc casu agitur de odiosis et de poenalibus, canones stricte interpretandi sunt. Potest etiam dici, quod tunc in confessario habetur tantum actus internus, qui perse non sufficit ad delictum.

Quaeritur *tertio*, num confessarius, qui sollicitaverit consulendo alicui coniugi actum quondam turpem cum sua uxore, de qua gravitate non constat inter auctores morales, incidat in delictum sollicitationis. Probabilius negative est per se respondendum. Canonistae enim et moralistae, qui de illo delicto scripserunt, distinguentes inter sollicitationem per *actus leves* et sollicitationem *ad actus leves*² affirmant per se et theoretice non adesse delictum sollicitationis, ubi ipsa fuerit tantum *ad actus leves*, quia semper requiritur quod turpia, ad quae sollicitatur, sint *graviter et certo talia*. Dicitur etiam quod *certo* constet de gravitate, quia ubi dubium est, scii, vel dubium iuris vel dubium facti, cum agatur de re poenali non potest certo loqui de delicto et ideo neque stricte

¹ Dalpiaz, op. cit., pag. 248.

² Cfr. I. M. Cappello, *Tractatus canonico moralis De Sacramentis — II De Poenitentia*. Itoniae 1911. pag. 110. Non deerant tamen aliqui (pii retinebant adesse delictum sollicitationis, etiamsi ipsa inerit ad actus leves: cfr. L. Cozza a St. Laurentis. *Dubia selectu emergentia circa Sollicitationem in Confessione Sacramentali...* Lovanii 1750 dub. 30, pag. 111.

iniungenda est delicii denuntiatio. Evidenter in diudicando dubia regulae generales probabilismi applicandae sunt, sedulo attendendo, utrum agatur de dubio solido vel non.

Quaeri denique potest *quarto* : num concrete confessarius, qui hodie permittit et consulit continentiam periodicam etiamsi sciat in poenitentibus nullam adesse *gravem causam*, incidat in delictum sollicitationis. Videtur respondendum, quod si hoc faciat ignoranter scii, quia nescit secundum sermonem Pii XII semper requiri gravem causam ad licitatem | tunc non incidit in delictum, sed per se denuntiandus est Ordinario, ob defectum scientiae. Si e contra hoc consulit, nonobstante sciat aliam esse doctrinam, ut dicatur incidere in *delictum* sollicitationis, examinandum est num objective defectus gravis causae reddat graviter illicitum usum matrimonii continentia periodica. Cui quaestioni particulari hic supersedemus. Practice tamen etiam in isto casu esset Ordinario denuntiandus saltem ob ista consilia minus recta in confessione scienter data.

Ad II^o 1. Quid de monitu S. Officii diei 30 iunii 1952. — Iuvat in primis referre textum moniti S. Officii diei 30 iunii 1952: Gravi cum sollicitudine Apostolica Sedes animadvertit non paucos scriptores his ultimis temporibus, de vita coniugali agentes, passim palam et minute ad singula eam spectantia inverecunde descendere : praeterea nonnullos actum quemdam, amplexum reservatum nuncupatum, describere, laudare et suadere.

Ne in re tanti momenti, quae matrimonii sanctitatem et animarum salutem respicit, munere suo deficiat. Suprema Sacra Congregatio S. Officii, de expresso mandato SS.mi D. N. P. Pii, divina Providentia Pp. XII, omnes praedictos auctores graviter monet, ut ab huiusmodi agendi ratione desistant. Sacros quoque Pastores enixe horiatur ut in his rebus sedulo advigilent et quae opportuna sint remedia sollicite apponant.

Sacerdotes autem, in cura animarum et in conscientiis dirigendis, numquam, sive sponte sive interrogati, ita loqui praesumant quasi ex parte legis Christianae contra «*amplexum reservatum*» nihil esset obiciendum. Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 30 iunii 1952 2.

¹ Cfr. Sermonem «*Alie ostetriche*» in *Actu Apostolicue Sedis*, 13 (1951) 811-816.

• In *Actu Apostolicue Sedis*, 31 (1 Aug. 1952) 34G. Pro commentario ad istud monitum cfr. inter alios Heking. *Adnotationes ud monitum de literature sexuali et de amplexu reservato*, in *Monitor ecclesiasticus*, 77 (1952) 568-582.

Quis statim quaerere potest quaenam sit relatio inter istud monitum et delictum sollicitationis, de quo nullum verbum explicitum habetur in ipso monitu. Attamen relatio habetur de facto in casu hic proposito, et in aliis casibus iam ante ipsum monitum propositis apud .Jone et Dalpiaz¹; relatio autem obiectiva inter sollicitationem et citatum monitum ex infra dicendis elucere potest. Qua de causa iuvat ipsum monitum perpendere et in sua totalitate, et particulariter quantum se refert ad sic dictum «amplexum reservatum».

1. *Quaedam animadversiones in ipsum monitum S. Officii 30 iunii 1952.*

Nobis placet ipsum monitum dividere in tres partes, quarum prima aliquomodo historica considerari potest; secunda vero potest considerari ut generalis admonitio; tertia vero potius apparet ut particularis admonitio circa particularem quaestionem scii, circa amplexum reservatum.

Prima pars moniti, uti diximus, est historica et incipit cum verbis: *Gravi cum sollicitudine*; et desinit cum verbis: *describere, laudare et suadere*. In hac enim parte monitum explicat facta horum ultimorum temporum, quibus scriptores non pauci *inverecunde* descendunt ad singula vitam intimam conjugalem spectantia, *palam et minute*. Immo *describunt, laudant et suadent* sic dictum *amplexum reservatum*. Qua appellatione intelligitur *copula inter coniuges peracta cum intentione et possibilitate cohibendi seminationem*².

Revera iam 29 oct. 1951 Pius XII in momentoso sermone « Alie ostetriche » admonuerat: « Bandite dal vostro spirito quel culto dei piacere, e fate dei vostro meglio per impedire la diffusione di una letteratura, che si crede *in dovere* di descrivere in ogni particolare le intimità della vita conjugale col pretesto *di istruire, di dirigere e di riassicurare* »³. Haec admonitio est quidem generica, sed habet evidentem relationem cum posteriori monitu. Immo iam anno 1950 S. Officium decreverat,

¹ In *Theol. prakt. Quartal.*, 85 (1932) 120-125, 336-311; et in *Apollinaris* 6(1933) 211 ss. Aliquo modo etiam apud Cozza, *l. c.* habetur similis casus cum relatione ad sollicitationem.

² Pro bibliographia circa amplexum reservatum cfr. H. M. Heusing, *De » amplexu reservato* . in *Angelicum* 28 (1951) 313-315: in hoc articulo pag. 321 merito ponitur quaestio de amplexu reservato, qui intelligitur *copula inchoata cum intentione seminationem cohibendi, sine periculo pollutionis ex parte coniugum*. Haec notio bene in mente habenda est in loca etiam nostra expositione, ne quis decipiatur in pensanda nostra expositione et solutione.

* In *Acta Apostolicae Sedis* 43 (1951) 852-853.

ul opera Ab. Chanson e commercio extollerentur Nam praesertim in Gallia opera divulgabantur, quae inverecunde insistebant in descriptione illius obiecti iuris coniugalis, quod licet in se bonum, tamen verecundia quam maxima tegendum est¹. Dicit Pp. Pius XII in citato sermone : « Questo Nostro insegnamento non ha niente da fare col manicheismo o coi giansenismo, come alcuni vogliono far credere per giustificare se stessi. Esso è soltanto una difesa dell'onore dei matrimonio cristiano e della dignità personale dei coniugi»² Insuper non deerant opera, quae expresse describebant, laudabant et suadebant illum « amplexum reservatum »³. Et revera quatenus minutim et palam talem actum describebant, inverecunde agebant ; quatenus autem ipsum laudabant supponebant ipsum esse undequaque bonum et licitum; quatenus denique illum suadebant positive incitabant ad eundem perliciedum. Talis suasio ex una parte poterat esse a finalitate bona suggesta : nam, dicebant, tali modo forsitan vitabatur onanismus coniugalis et simul aliquo modo coniuges poterant aliquod adiutorium in matrimonio habere ad fornicationem vitandam. Quae tamen ultima consideratio redolet aliquo modo de illa aequiparatione inter finem secundarium et primarii matrimonii, contra quam iam increpauerat encyclica *Casti connubii*⁴ et ipse Pius XII in pluribus documentis⁵.

Secunda pars monili continet admonitionem generalem contra istos auctores talia agentes et hortantur *enixe* pastores ut advigilent *sedulo* opponendo *sollicite* opportuna remedia. Insuper in hac parte datur ratio illius generalis sed gravis admonitionis. Quae ratio est ne in re tanti momenti, quae matrimonii sanctitatem et animarum salutem respicit. [S. C. S. Oflicii] munere suo deficiat ». Ergo facta in prima parte enarrata, scii, inverecunde descendere ad singula vitae coniugalis, et ipsum amplexum reservatum describere, laudare et suadere sunt res magni

¹ Cfr. Hering, *op. cil.*, pag. 316.

² Obiectum contractus est quidem ius perpetuum et exclusivum ad actus per se aptos ad prolis generationem (can. 1081, § 2); attamen ita est inlimilate coopertum, ut moralistae catholici bene concedunt ipsum coitum interrumpi posse, ubi supervenerit aliquis, qui possit coniuges coniunctos inspicere. Et haec quidem doctrina refertur a quibusdam ad confirmandum, quod ipse amplexus interruptus et reservatus non est aliquid intrinsece malus, si licet illum aliquando ex iusla quidem causa interrumpere.

³ In *Acta Apostolicae Sedis*, 13 (1951) 853.

⁴ Cfr. P. Chanson, *L'Art d'aimer*, et *Art d'aimer et continence eonfut/ale*, Ed. Familiales de France, Paris 1918: ex Hering, *op. cil.*, pag. 31 I, nota 1; et Idexi, *Adnotaciones ad monitam* ... pag. 568 ss.

⁵ In *Acta Apostolicae Sedis*, 22 (1930) 539-592: passim.

⁶ *Ibidem* 13 (1951) 81g-850.

momenti pro vita morali Ecclesiae, quatenus minant *sanctitatem matrimonii et salutem animarum*. Videretur, quod iam in hac secunda parte, praedictis verbis, monitum intraverit in meritum moralitatis amplexus reservati. Sed forsitan ita non est: nam in hac secunda parte potius reprehenditur *modus* de illis rebus loquendi: quia *modus* inverecundus scribendi de illo obiecto intimo offendit sanctitatem matrimonii Christiani, uti etiam affirmat Pius XII in citato sermone ¹; et etiam *modus* quo describitur, laudatur et suadet ipse amplexus reservatus apud praedictos auctores talis est ut sit occasio ruinae spiritualis pro salute fidelium; etiam praetermissa liceitate vel minus illius actus. Ita describere, laudare et suadere ipsum legitimum actum conjugalem potest aliquando esse occasio ruinae spiritualis, praesertim si fit, ut in litteratura moderna, cum nimia accentuatione et sub pretextu oblinendi illum sic dictum « matrimonium perfectum » contra quem redarguit Pius XI in ipsa encyclica *Castii Connubii*. A fortiori ista admonitio valet pro confessariis, qui etiam debent attendere ad sanctitatem et dignitatem sacramenti poenitentiae et ad delictum et peccatum sollicitationis in quae incurrere poterunt, si de illis rebus loquantur poenitentibus sicut loquuntur morborum illi scriptores.

Tertia denique pars moniti, quae incipit: *Sacerdotes autem ... et desinit: nihil esset obiiciendum*, est admonitio particularis: sive quia se refert particulariter ad *Sacerdotes*, qui curam animarum habent vel conscientiam dirigunt; sive quia agit particulariter de *amplexu reservato*. Illis praemissis iuvat sequentia adnotare. Admonentur sacerdotes ut *numquam*, ergo nullo excepto casu, *sive sponte sive interrogati* (quod confirmat non dari exceptio) *ita loqui praesumant quasi ex parte legis Christianae contra amplexum reservatum nihil esset obiiciendum*. Quae verba aliqua indigeni explicatione: prohibetur per se *loqui*; sed prohibetur etiam ut *scribatur*. Ex contextu apparet non prohiberi per se obiectum locutionis sed *modum* qui non solum non debet esse *inverecundus* (quod generice prohibitum fuerat in secunda parte moniti) sed talis sit ut ipse amplexus reservatus ex illa locutione, etsi *verecunda*, non evadat sine *ulla obiectione* ex parte legis Christianae. Attendatur in monitu verbum ¹ *praesumant*», quod iuridice ordinarie utitur in censuris quando admittitur excusatio ignorantiae etiam *crassae*².

¹ Cfr. Sermonem « *Alie ostetriche* » /, c.

- in *Acta Apostolicae Sedis* 22 (1932) 582. Pro interventu SS. Pontificum contra praefatam litteraturam cf. Idem. *Adnotationes ad monitum ...* pag. 568 ss. Hering, *Adnotationes...* pag. 570 ss.

² Cfr. probatos auctores»

Potest forsan quis indicare quod huius monili tertia pars circa quaestionem de moralitate amplexus reservati appareat nimis prudens et ideo intentionaliter generica et forsan etiam vaga. Videretur forsan S. Officium, cum scivisset de difficultatibus circa illam moralitatem indicandam qua Sua nota est prudentia, adhuc suspendisse indicium definitivum, et determinatum circa naturam, extensionem et limites illius moralitatis. Intentio directa S. Officii etiam in illa tertia parte, fuit monere sacerdotes ne ipsum amplexum reservatum *describerent, laudarent* vel etiam *suaderent*, sicut faciebant illi scriptores, quasi nihil esset obiiciendum contra ipsum. Quod ille actus describatur minutim apparet quod sit contra verecundiam; sed cur prohiberetur *laudare* et *suadere*, honestis quidem verbis, illum amplexum reservatum? Ratio est quia lex Christiana, spectato speciatim modo quo illi auctores illum laudant et suadent, aliquid habet obiiciendum. Aliis verbis S. Officium non solum non approbat, sed etiam positive prohibet illas laudationes et suasiones circa amplexum reservatum et quidem nomine et vi legis Christianae. P. Hürth, qui cum sit Consultor S. Officii, melius cognoscit etiam S. Officii mentem, scribit: «... Examinandum restat, quid accurate verba ‘ex parte legis Christianae contra amplexum reservatum aliquid esse obiiciendum’ in se et ex mente S. Officii significant. Certo saltem significant: dictum amplexum non posse sine omni distinctione et restrictione dici licitum. Ex altera parte haec verba, prout sonant, non necessario significant: hunc amplexum, ex intrinseca natura Ethicae christianae esse contrarium ideoque semper illicitum »¹. Et inferius ipse P. Hürth retinet S. Officium noluisse reprobare omnem amplexum reservatum, sed tantum illum, qui vitiatus sit aliquibus pravis circumstantiis². Sed hic forsan alicui potest venire in mentem illud effatum: «ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus». Et si revera illa fuit S. Officii mens cur in monitu non distinguitur inter varios modos amplexus reservati? Vel saltem cur non habetur in illo monitu aliqua determinatio, quae facile dari poterat? E. g. poterat dici:

¹ F. Hürth, *Inquisitio critica in moralitatem amplexus reservati*, in *Periodica de re mor. can. cl. lit.*, II (1952) 251-269. De amplexu reservato scripserunt post monitum S. Officii: Fr. Alexio, « *Amplexus reservatus* », in *Rev. Eccl. Brasileira*, 12 (1952) 917-918; It. Carpentier, *Monitum gravi cum sollicitudine*, *concernant les publications sur le mariage et spécialement l'étreinte réservée*, 30 juin 1952. *Commentaire*, in *Nouvelle Revue théol.*, 71 (1952) 971-980; E. I. Regatillo, *Quaestio moralis; de amplexu reservato*, in *Sal terrae*, II (1953) 103-111; M. Castellano, *Adnotationes ad Monitum S.S.C.S. Officii de amplexu reservato*, in *Ephern. iuris can.* 8 (1952) 311-315; J. Paquin, *L'étreinte réservée*, in *Sciences Ecclésiast.*, 5 (1953) 81-106.

² Hürth, *o. c.* pag. 259.

Quasi ex parte legis christianae contra *qualemcumque* amplexum reservatum nihil esset obiciendum ». Sed forsane scite S. Officium specificationes illas vitavit. Formulazione moniti sic stante forsane potest etiam intelligi quod iuxta S. Officium licitas amplexus reservati non est ita clara et admissa, licet in aliquibus casibus tantum, ut ipsi pastores possint illum amplexum sic et simpliciter in aliquo quidem casu, licet honestis verbis, *laudare et suadere* ; etsi forsane, stante disputatione, uti infra videbimus, non esset illum ita prohibendum sub poena etiam denegandae absolutionis.

Quaestio de moralitate, ni fallimur, non videtur solvi a monitu neque videtur in ipso proponi implicite aliqua solutio ; sed potius nobis videtur ibidem tantum moneri, quod lex Christiana aliquas obiectiones habet contra eius licitatem. Obiectiones scii, habentur, quae non sunt adhuc plene et clare dissolutae. Et revera obiectiones contra licitatem etiam antiqui moralistae ponebant, qui aliquo modo praxim amplexus reservati moraliter consideraverunt, uti videbimus paulo infra. E contra illi increpati moderni auctores, qui ipsum amplexum reservatum laudant et suadent putant eius licitatem in tuto esse in ipsa traditione morali * Et ad expellendam talem persuasionem nobis videtur directe illa tertia pars moniti attendere. Quae e contra fuerit diversa theologorum positio circa eius licitatem videbitur statim infra.

2. — *Positiones theologorum de moralitate amplexus reservati.*

Iam antiquitus ordinarie de amplexu reservato tractabatur ubi de lactibus inter coniuges. Et iam *Summa Armilla* admonebat : « De tactibus impudicis inter coniuges, nulli multa dicunt, ex quibus, (piae magis vera videntur excerpti) »¹. Et quod revera cognoverint illum, qui nunc nuncupatur amplexus reservatus, deduci potest e. g. ex Petro de Palude, saepe a *Summis* citato³. Ipse enim loquitur de illo qui « ante completionem actus se retrahit nec semen emittit eadem intentione [scii. « ne habeat plures filios quos nutrire non possit »] »².

Si volumus autem colligere opiniones auctorum, ante et post monitum, de moralitate amplexus reservati, considerando etiam antiquos theologos, possumus tres redigere classes :

¹ Cfr. in Hering, *Adnotationes...* in *Monitor eccl.*, pag. 577 ss. ; et iam ante: *De amplexu reservato*, in *Angelicum*, pag. 311, nota 3.

* Bartholomaeus Fumus, *Summa Armilla*, sub voce : *Debitum coniugale*, n. 8, cd Lugduni 1554, pag. 180b.

* Citatur etiam ab ipsa *Summa Armilla*, l. c., n. 9. pag. 181 a.

* Petrus De Palude, *In IVam Sent.*, d. 31, q. 3, Parisiis, apud Régnault 1514, f. 160 c-d.

α) Aliqui, praesim ex modernis auctoribus, tenent *amplexum reservatum non esse per se intrinsece malum*; licet illicitum fieri posse ex variis circumstantiis. HURT scribit: «Hinc (saltem interim) concludendum videtur: (si in casu particulari certum est, ob peculiare conditiones ex parte circumstantiarum nil monendum esse; si insuper certum, est, coniuges ita agentes duci seriis et iustis motivis): non constare amplexum reservatum « non posse » umquam peragi sine peccato » Ratio et fundamentum huius conclusionis videtur desumi ex statu quaestionis disputatae; sed non desunt in articulo P. HÜRTH argumenta, quae potius favent sententiae neganti intrinsecum malitiam amplexus reservati. Nolumus hic illa argumenta transcribere et perpendere: sed dicimus generice illa esse potius ordinis speculativi et theoretici. In ista sententia forsitan difficulter explicatur traditio theologica, incluso S. Alphonso, qui semper vident in illo modo agendi aliquam deordinationem et peccatum saltem veniale ut videbimus infra. Practice enim illi coniuges directe intendunt et volunt aliquam delectationem veneream *in actu* propter seipsam intentam, licet rectus ordo servetur et dispositive, praeparative et inchoative ordinetur ad prolis generationem² et licet mediante illa delectatione aliqui dicunt obtineri finem secundarium scii, mutuum adiutorem et remedium concupiscentiae³. Practice coniuges intendunt *actu* delectationem propter delectationem, licet mensuratum, cum positiva intentione excludendi illo actu finem operis; et hoc non videtur sine aliqua culpa⁴

Alia ex parte quomodo potest vocari actus dispositivus ad prolis generationem ille actus qui expresse tali modo *completur* ne habeatur seminatio et ideo prolis generatio?

¹ Hering, *op. cil.*, pag. 325 in ista sententia adnumerat Vermeersch, Cappello, KIPPENS, TIBERQHIN, DeRMINE, CHANSON, MARTIN, FERRET, GILLET, CARPENTIER quorum citationes invenies apud Hering, *op. cil.*, pag. 325. Personaliter non inquisivimus circa positionem praedictorum auctorum.

² P. HÜRTH. *Inquisitio critica in moralitatem amplexus reservati*, in *Period. de re. mor. can. et lit.*, H (1952) 269.

³ *Ibidem*, pag. 26-1.

⁴ *Idem*, pag. 265: «... Censent: amplexum reservatum, suppositis supponendis, inservire posse tum bono prolis tum bono iidei; bono prolis non quidem exsecutive, sed dispositive; bono iidei, scii, conservando et promovendo dictum coniugum allec-tum mutuum *matrimoniale*, qui affectus contineat (non quidem primo et principaliter) sed ex voluntate naturae ac Creatoris etiam naturalem affectum *sexualem* ».

⁵ Cf. *Propositio damnata* ab Innocentio XI: «Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus culpa caret ac defectu veniali. (1)B. 1159); cf. etiam II. De Mesmaecker, *De moralitate actus positi propter delectationem* in *Collectanea Mecliniensia*, (1939) 288-295. Tamen HÜRTH *o. c.* pag. 259 admittit coniuges practice posse «non «luci sexuali cupidine, dominio rectae rationis subducta».

b) Alii autem putant amplexum reservatum esse *intrinsece malum d quidem semper sub gravi prohibitum* P. Hering de amplexu reservato scripsit sive ante sive post monitum S. Officii 2. Ille, etiam post expositionem et adnotatione P. Hürth clare tenet amplexum reservatum non solum esse intrinsece malum sed etiam sub gravi prohibitum³. Primam partem scii, quod sit intrinsece malus probat variis argumentis, quae non possumus hic considerare et perpendere, non tantum quia natura huius consultationis prohibet nobis, ut nimis longa evadat; sed etiam quia personaliter pro nunc magis suadet sententia, quae tenet revera illum amplexum esse per se sub levi illicitum. Ideo secunda pars, qua P. Hering conatur demonstrare ipsum amplexum esse quidem semper *sub gravi prohibitum* minus nobis persuadet.

Consideramus eius argumentationes. *Prima argumentatio* sic construitur: Omne peccatum luxuriae est de se grave, et praesertim peccatum contra naturam seu actus venereus ex quo generatio sequi non potest, quod inter omnes species luxuriae a S. Thoma dicitur esse gravissimum. Atqui amplexus reservatus est peccatum luxuriae perlinens « reductive » (quia deest seminatio) ad vilium contra naturam, est enim verus « actus venereus ex quo generatio sequi non potest », cum positive seminatio- nem ideoque generationem excludat. Ergo »* Dubitamus in primis de illo principio generali quod omne peccatum luxuriae etiam imperfectae inter coniuges sit semper grave peccatum⁵; videntur enim, ut videbimus infra, auctores magni nominis in re morali, uti S. Alphonsus, hoc non affirmare relate ad coniuges quoad omnes actus⁶. Insuper auctoritas

³ Pro auctoribus antiquis et modernis, qui videntur talem sequi sententiam, cfr. articulos P. Hering infra.

⁴ Hering, *De amplexu reservato*, in *Angelicum* 28 (1951) 331 ss.

⁵ Idem, *Estne » amplexus reservatus intrinsece malus?*, in *Monitor ecclesiasticus*, 79 (1954) 455-478.

* *Ibidem*, pag. 472.

⁶ Auctores enim loquuntur etiam de luxuria imperfecta non solum interiori, sed etiam exteriori. Scribit enim Vermeersch. *Theol. moralis*, IV, *De castitate*... Horna 1911, pag. 87, n. 112: « Intrinsicam malitiam omnis directe quaesitae voluptatis venereae extra matrimonium non controvertitur... De gravitate peccati luxuriae [scii imperfectae] directe quaesitae prima sententia alios motus graves, alios leves habet... Altera sententia delectationes venereas ex toto genere graves esse docet. Tertia sententia, media, sic a De Moya propugnatur... ». Attamen hic agitur de gravitate luxuriae imperfectae extra matrimonium; non vero de illa a coniugibus peracta, quae etiam a Vermeersch reputatur, ut iam etiam P. Hering dicit, non solum sine culpa gravi sed etiam aliquando licita (cf. *ibidem*, pag. 60, n. 73). Illoc igitur proprie end probandum, quod omnis actus luxuriae imperfectae etiam inter coniuges sit graviter semper prohibitum; cum Immo fuerint etiam aliqui gravitatem negantes etiam in solutis; licet haec sententia merito « hodie ut improbabitis habenda est., ut ait Vermeersch. *loc. cit.*, pag. 88.

• Cf. citationes S. Thomae datas ab Hering. *loc. cit.*, pag. 172. nota 55-58.

S. Thomae adducta non videtur proprie comprobare gravitatem malitiae amplexus reservati; nam in locis *Summae* S. Thomae citatis, non clare constat, num revera S. Thomas intenderit quod etiam actus et amplexus luxuriosi inter coniuges sint peccata mortalia. Angelicus loquitur de peccato quod adest in omni actu venereo ex quo generatio sequi non potest quodque peccatum vocat vitium contra naturam¹; sed forsitan ipse Angelicus intelligit de actibus completis vencreis et non de actibus inter coniuges cum aliquali delectatione venerea sed imperfecta et incompleta. Insuper S. Thomas loquitur de illis, qui *positive* aliquid faciunt ut generatio sequi non possit; non de illis qui *positive* non impediunt generationem, sed tantum ipsam non volunt in illo actu; licet *positive* coitum incipient. Si enim verum esset ex citato textu S. Thomae quod « in omni actu venereo (etiam inter coniuges) ex quo generatio sequi non possit » sit vitium et quidem grave *contra naturam*, tunc sequeretur quod etiam continentia periodica esset intrinsece illicita et quidem sub gravi. Nam etiam in continentia periodica coniuges actum venereum (et quidem perfectum) perficiunt et tamen *sciunt* et *volunt* ut non sequantur generatio prolis, licet nihil *positive* contra prolem faciant². Ergo non videtur clare quod ille textus S. Thomae possit valere pro solutione quaestionis nostrae. Similiter neque alii textus Angelici ab eodem P. Hering in *Angelicum* relati³ videntur clare probativi relate ad gravitatem peccati: nam in 2-2 q. 153 q. 2 asseritur tantum quod « usus Venereorum potest esse absque *omni* peccato, si fiat debito modo et ordine, secundum quod est conveniens ad finem

¹ E contra amplexum reservatum asseritur in alia sententia esse *secundum naturam*, licet tantum dispositive, inchoative. Scribit enim Hürth, o. c., pag. 26G de auctoribus qui negant intrinsecam malitiam: 'Vitium contra naturam' censent esse exclusum, quia vis et indoles dispositiva ad actum completum, quae normali unioni corporum ex structura naturali inest retinet cum in linea activitatis *secundum* (non contra) *naturam*. Contra istos auctoritas S. Thomae, qui etiam dicit vitium contra naturam esse maximum peccatum. P. Hering enim citat illud S. Thomae II-II q. 151, 1. et concludit: « Ex omnibus. . . supra dictis patet amplexum reservatum esse intrinsece malum, et pertinere reductive ad *peccatum contra naturam*, nam ut ait S. Thomas * vitium contra naturam est in omni actu venereo ex quo generatio sequi non potest, quae definitio in amplexu reservato verificatur ». Sed dubitamus de ista applicatione ad amplexum reservatum et putamus potius S. Thomam loqui de actu venereo in *solutis*, quia tunc ille actus potest dici quod *habet repugnantiam ad finem venerei actus* ut praemittit ipse S. Thomas, *loc. cit.*

² Continentia periodica enim illa est « qua coniuges prolem vitare student, pro usu matrimonii dies eligentes, in quibus vel nulla vel minor sit conceptionis spes »; ita eam describit Lanza-Palazzini, *Theologia Moralis-Appendix*, Hornae 1953 pag. 69. Voluntas Igitur coniugum in continentia periodica est uti *actu venereo completo*, quin generatio sequi possit.

³ Hering, *De amplexu reservato*, in *Angelicum* 28 (1933) 331 ss.

generationis humanae »¹; consequentia logica textus est quod si ille usus fiat non debito modo et ordine, secundum quod est conveniens ad finem generationis, non potest esse abque *omni* peccato; scii, est certo peccaminosus, sed non dicit S. Thomas ibidem esse certe et semper *grave* peccatum. Similiter in sequenti articulo eiusdem quaestionis 1 non dicit S. Thomas *omnem* actum venereum *etiam inter coniuges* esse certe et semper peccatum *grave*^{3*}. Videtur igitur quod textus S. Thomae non sint saltem ita clari, ut possint sic et simpliciter adduci ad confirmationem *gravitatis* malitiae amplexus reservati, scii, actus luxuriosi imperfecti inter coniuges.

Secunda argumentatio sic sonat: « Peccatum est mortale, si voluntas fertur in aliquid quod secundum se contrariatur caritati (sive caritati Dei, sive caritati proximi). Sed amplexus reservatus, sicut omne peccatum luxuriae, contrariatur caritati proximi, in quantum, ad instar peccati contra naturam, prolis generationem impedit. Ergo n⁴*. Et ad confirmationem argumenti citat denuo S. Thomam^{5*}. Sed non videmus, quomodo aliquid, quod contrarietur caritati proximi, sit *semper et necessario peccatum mortale*; neque hoc dicit S. Thomas in textu citato a P. Herixg⁶.

Tertia argumentatio sequens est: « Si levis tactus impudicus a iuvene factus unice ob delectationem iam est peccatum mortale, a *fortiori* coniunctio carnalis duorum corporum cum intentione cohibendi seminationem (et ideo excluso ordine ad generationem), quod est turpissimum, etiam inter coniuges, cum ad id nullum ius habeant⁷. Sed comparatio non videtur assertum comprobare: nam invenis intendit unice delectationem. ipsi undequaue et semper prohibitam; coniuges utique inlen-

¹ *Ibidem*, pag. 332. nota 1.

▪ *Ibidem*, pag. 332, nota 2.

• Forsan non est sine aliquo momento considerare illud quod scribit ipse S. Thomas, *Summa th.* III. Suppl, q. XLIX, a. 5: « Respondeo dicendum quod quidam dicunt quod quodocumque ad actum coniugalem libido principaliter movet, est peccatum mortale; sed quando movet ex latere, tunc est peccatum veniale... Si autem quaeratur delectatio intra limites matrimonii, ut scii, talis delectatio in alia non quaeretur quam in coniuge, sic *esi veniale peccatum* ». Tali textu videtur confirmari potius sententia tertia, quae tenet in amplexu reservato non adesse semper per se peccatum mortale, sed semper veniale peccatum, uti videbimus infra.

• Iliauxo, in *Monitor eccl.*, pag. -173.

• *De Malo*, 15. 2 ad 4: cf. *ibidem*, pag. 173, nota 58.

• In textu allato tamen dicitur quod omnes corruptiones luxuriae, quae sunt *praeter legitimum matrimonii usum*... »; ergo non proprie convenit iste textus nostro casui, quia agitur de amplexu reservato *inter coniuges*; agitur nempe de luxuria incompleta inter coniuges, legitimo matrimonio coniunctos.

⁷ Herixg, *loc. cit.*, pag. 173.

dual etiam unice delectationem in amplexu reservato : et hac ratione videntur peccare sicut deducitur ex citata propositione damnata¹; sed non plene constat, quod *certo* peccent *graviter*. Hoc enim non deducitur ex illa propositione damnata neque ex comparatione cum iuvene soluto. Illud « a fortiori » valeret in eadem linea iuvenum solutorum, non autem in statu coniugii quod multa permittit solutis semper prohibita. Pollutio utique est in utroque statu prohibita ; sed supponitur in amplexu reservatu neque periculum proximum pollutionis adesse.

Quarta autem argumentatio est auctoritate Sanchez et aliorum in-nixa ², tamen non datur citatio operis ipsius Sanchez, sed potius citatur Antonelli. Iste refert aliquem textum S. Alphonsi, ubi citatur utique Sanchez. Sed non video quomodo possit confirmari ex Sanchez, a S. Alphonso citato illud quod P. Hering enuntiavit in corpore³* Antonelli scribit : « Requiritur... ut actus non sit nimis turpis qualis esset admoveere digitum morose intra vas. At introductio penis non lautum turpis actus, sed turpissimus est et directe et proxime agens in pollutionem » Attamen in contextu ibidem sermo lit de conditionibus ut turpes illi actus excusentur ab *omni* peccato, ergo etiam a veniali⁵ Insuper illi actus dicuntur prohibiti quatenus constituunt «inchoata pollutio. Et theologi ipsi postulant, ut in lactibus his turpibus, ut sint liciti, absit *periculum pollutionis proximum* »^c. Ergo ista verba non attingunt amplexum reservatum, ubi per se abesse debet periculum proximum pollutionis, sicut conceditur ab ipsis modernis auctoribus ‘.

Citantur etiam in nota *Summa Sylvestrina* el Conradi⁸ sed etiam de illis textibus valore dubitari potest, uti videbimus infra.

Quinta argumentatio se refert denuo ad auctoritatem S. Thomae et aliorum sequenti modo : « luxla S. Thomam, ‘ si sit actus luxuriae pecca-

¹ Cf. DenzigeB Banwaht, *Enchiridion Symbolorum*, n. 1159: ci. supra, pag. 89.
- Hering, *loc. cit.* scribit: « luxla Sanchez el alios, si vir admovet digitum in vas uxoris (sine ordine ad copulam), est quid turpissimum et peccatum mortale. Ilrgo a fortiori, si non digitum tantum, sed ipsum membrum immittit in vas uxoris, excluso ordine ad generationem ».

³ Pro textu S. Alphonsi. ubi citatur Sanchez: cf. infra, in corpore.

¹ Antonelli. *Medicina Pastoralis*. II. Hornae 1909. pag. 482, i. 852.

⁵ *Ibidem*, n. 853: †Dein, qui hisce actibus et praevia intentione vitandi prolem, incipit copulam et cohibet seminationem, quid aliud quacrit nisi voluptatem hoc modo explere? Si usus matrimonii habitus ob *solum* voluptatem non caret peccato. *rissi lanium veniali*, nonne et hi actus copulae censendi sunt peccatum, quod homo omnino effugere debet? Accedit etiam quod coniuges per matrimonium... nec acquirunt ius ad peccata *diam levia* impune patrandam ».

^e Antonelli, *op. cil.*, pag. 482, η. 852.

⁷ Cf. supra ubi dedimus conceptum « amplexus reservati ».

^M Hering, *loc. cit.*, pag. 173, nola 60.

altero coniuge consentiente, peccat mortaliter, si ex hoc sequitur, vel si periculum sequi pollutionem extra vas, quia est contra naturam: *secus quando non esset tale periculum pollutionis, neque in viro, neque in muliere*. Et in hoc sensu intelligo Pel. de Pal. supra dicentem, quod non est mortale se retrahere ante complementum actus ne seminet, propter prolis multiplicationem »'. Ergo, uti apparet, non videtur quod in *Summa Armilla* retineatur adesse *semper* peccatum mortale in coitu cum seminis cohibitione, sed solum quando tali modo agendi habeatur etiam periculum proximum seminandi extra vas. Et revera etiam ipse Petrus de Palude, qui non solum ab ista *Summa* et a S. Alphonse sed etiam a multis aliis citatur¹, scribit de hac re: «Si autem [vir] ante completionem actus se retrahit nec semen emittit eadem intentione [scii. *ne habeat plures filios quos nutrire non possit*] non videtur mortaliter peccare, nisi ex hoc forte mulier ad seminandum provocaretur »²

Neque videtur quod ipse Antonelli admittat semper adesse peccatum grave, licet certe retineat adesset peccatum veniale. Scribit enim: - Dein, qui his actibus et praevia intentione vitandi prolem, *incipit copulam et collibet seminationem, quid aliud quaerit nisi voluptatem hoc modo explere*. Si usus matrimonii habitus ob *solam* voluptatem, non caret peccato, *etsi lanium veniali*, nonne et hic, actus copulae censendi sunt peccatum, quod homo omnino effugere debet? » * Marc, CSSR citatus a P. Hering non potest adnumerari inter illos, qui semper vident gravem culpam in amplexu reservato; nam ipse loquitur de mortali quando « practice vix abesse potest in utroque coniuge periculum pollutionis »³; igitur supponit adesse periculum proximum pollutionis. Pro casu autem quo hoc periculum abest adiungit: « Excipe, si coniuges experti sint oppositum; quo tamen casu ut *plurimum a veniali non excusantur* »⁴; et in hoc, ut patet, consentit cum S. Alphonso. Merkelbacu pariter citatus a P. Hering expresse considerat nostrum casum, attamen non diiudicat ipsum amplexum reservatum per se semper graviter prohibitum, quia tactus imperfectus si positive excludatur

¹ *Ibidem*, pag. 181 a, n. 9.

² Cf. Sylvester Pius, *Summa*, sub voce: *Debitum coniugale*, cd. Venetiis 1578. pag. 173 a, n. 9.

³ Petrus de Palude, *In IVam Seni.*, d. 31, q. 3, Parisiis 1511. pag. 160 c-d.

⁴ Antonelli, *medicina Pastoralis*, II, Boniae 1909, pag. 182. n. 853; cfr. supra nota 70.

* Marc. *Institutiones Morales Alphons.*, II. n. 2112-1 (ex Hering. *loc. cit.*, pag. 331, nota 2).

• *Ibidem*,

finis primarius, generatio prolis, est peccatum veniale, diam si nullum inde sit periculum pollutionis »¹.

Conclusio ergo videtur sequens circa positionem theologorum de amplexu reservati moralitatis : potius quam duae sententiae videntur potius tres adnumerari posse, quarum prima tenet non esse intrinsece malum et ideo aliquando esse permissum sine ullo peccato ; secunda tenet ipsum revera intrinsece malum et semper sub gravi prohibitum ; tertia denique sententia tenet ipsum esse *semper illicitum per se .sub levi*. Relate ad istam ultimam sententiam supponitur ab auctoribus ut nullum adsit *periculum proximum pollutionis*. Haec sententia, quae gaudet auctoritate S. Alphonsi, sperni non potest ; immo nobis adhuc videtur magis acceptabilis quousque aliarum sententiarum fautores nova et profundiora argumenta afferant, ita ut propria positio certa evadat.

P. Hering uti vidimus conatur demonstrare suam positionem revera fulciri in doctrina S. Thomae. Et scribit: «Non ergo inutiliter urgent Summi Pontifices observationem canonis 1366 C.I.C., quo omnia studia philosophica ac theologica pertractanda sunt ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia»² Sed pratermisso quod non videtur undequaque clare ex textibus allatis revera iuxta principia S. Thomae omnem amplexum reservatum esse semper graviter prohibitum et non lanium venialiter, rememorandum est Ecclesiam in re morali maximam dare etiam S. Alphonso auctoritatem, praesertim ubi agitur de practica resolutione casuum. Ita ut si S. Thomas merito retineatur princeps theologiae moralis speculativae, ipse S. Alphonsus merito quoque possit retinere princeps et Doctor moralis casuisticae. Et tamen S. Alphonsus quatenus allinet nostrum casum potius videtur stare cum illis, qui relinunt practice non semper amplexum reservatum esse peccatum mortale sed semper practice esse peccatum veniale.

Ilaec nostra brevis inquisitio de amplexu reservato non est consideranda uti nova de eius moralitate inquisitio ; sed potius uti expositiva positionum theologorum. Quas tamen positiones illis animadversionibus volumus circumdare, quae nobis reddiderunt ipsas minus persuadentes et minus acceptas.

Ad Quid ad casum. Ante solutionem practicam nostri casus, pretium operis putavimus transcribere hic dubium et solu-

¹ Mer kelij Ach, *Summa theologiae Moral*, III, n. 956, 5 (ex Hering, *loc. cit.* pag. 331, nota 3).

² Hering, *Esse amplexus reservatus intrinsece matus*, in *Monitor ecclesiasticus*. 79 (1851) 177).

altero coniuge consentiente, peccat mortaliter, si ex hoc sequitur, vel si periculum sequi pollutionem extra vas, quia est contra naturam : *secus quando non esset tale periculum pollutionis, neque in viro, neque in muliere*. Et in hoc sensu intelligo Pel. de Pal. supra dicentem, quod non est mortale se retrahere ante complementum actus ne seminet, propter prolis multiplicationem »¹. Ergo, uti apparet, non videtur quod in *Summa Armilla* retineatur adesse *semper* peccatum mortale in coitu cum seminis cohibitione, sed solum (piando tali modo agendi habeatur etiam periculum proximum seminandi extra vas. Et revera etiam ipse Petrus de Palude, qui non solum ab ista *Summa* et a S. Alphonso sed etiam a multis aliis citatur², scribit de hac re: «Si autem [vir] ante completionem actus se retrahit nec semen emittit eadem intentione [scii, ne habeat plures filios quos nutrire non possit] non videtur mortaliter peccare, nisi ex hoc forte mulier ad seminandum provocaretur»³.

Neque videtur quod ipse Antonelli admittat semper adesse peccatum grave, licet certe retineat adesset peccatum veniale. Scribit enim : ' Dcin, qui his actibus et praevia intentione vitandi prolem. *incipit copulam et cohibet seminationem, quid aliud quaerit nisi voluptatem hoc modo explere*. Si usus matrimonii habitus ob *solam* voluptatem, non caret peccato, *etsi lanium veniali*, nonne et hic, actus copulae censendi sunt peccatum, quod homo omnino effugere debet ? »⁴. Marc, CSSR citatus a P. Hering non potest adnumerari inter illos, qui semper vident gravem culpam in amplexu reservato ; nam ipse loquitur de mortali (piando « *practice vix abesse potest in utroque coniuge periculum pollutionis* »⁵ : igitur supponit adesse periculum proximum pollutionis. Pro casu autem quo hoc periculum abest adiungit: « Excipe, si coniuges experti sint oppositum ; quo tamen casu ut *plurimum a veniali non excusantur* »⁶ ; et in hoc, ut patet, consentit cum S. Alphonso. Merkelbach pariter citatus a P. Hering expresse considerat nostrum casum, attamen non diiudicat ipsum amplexum reservatum per se semper graviter prohibitum, quia tactus imperfectus si positive excludatur

¹ *Ibidem*, pag. 181 a, n. 9.

- Cf. Sylvester Prieras, *Summa*. sub voce ; *Debitum coniugale*, ed. Venellis 1578, pag. 173 a, n. 9.

² Petrus DE Palude, *In IVum Sent.*, d. 31. q. 3, Parisiis 1511, pag. 160 c-d.

⁴ Antonelli, *medicina Pastoralis*, II. Romae 1909, pag. 182. n. 853; cfr. supra nola 70.

⁵ Marc. *Institutiones Morales Alplions.*, II. η. 2112-1 (ex Herix o, *loc. cil.*, pag. 331. nola 2).

• *Ibidem*.

finis primarius, generatio prolis, *est peccatum veniale, etiam si nullum inde sit periculum pollutionis* »¹.

Conclusio ergo videtur sequens circa positionem theologorum de amplexu reservati moralitate : potius quam duae sententiae videntur potius tres adnumerari posse, quarum prima tenet non esse intrinsece malum et ideo aliquando esse permissum sine ullo peccato ; secunda tenet ipsum revera intrinsece malum et semper sub gravi prohibitum ; tertia denique sententia tenet ipsum esse *semper* illicitum *per se sub levi*. Relate ad istam ultimam sententiam supponitur ab auctoribus ut nullum adsit *periculum proximum pollutionis*. Haec sententia, quae gaudet auctoritate S. Alphonsi, sperni non potest ; immo nobis adhuc videtur magis acceptabilis quousque aliarum sententiarum fautores nova et profundiora argumenta afferant, ita ut propria positio certa evadat.

P. Hering uti vidimus conatur demonstrare suam positionem revera fulciri in doctrina S. Thomae. Et scribit : « Non ergo inutiliter urgent Summi Pontifices observationem canonis 1366 C.I.C., quo omnia studia philosophica ac theologica pertractanda sunt ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia »² Sed pratermisso quod non videtur undequaque clare ex textibus allatis revera iuxta principia S. Thomae omnem amplexum reservatum esse semper graviter prohibitum et non tantum venialiter, rememorandum est Ecclesiam in re morali maximam dare etiam S. Alphonso auctoritatem, praesertim ubi agitur de practica resolutione casuum. Ita ut si S. Thomas merito retineatur princeps theologiae moralis speculativae, ipse S. Alphonsus merito quoque possit retinere princeps et Doctor moralis casuisticae. Et tamen S. Alphonsus quatenus attinet nostrum casum potius videtur stare cum illis, qui retinent practice non semper amplexum reservatum esse peccatum mortale sed semper practice esse peccatum veniale.

Haec nostra brevis inquisitio de amplexu reservato non est considerata uti nova de eius moralitate inquisitio ; sed potius uti expositiva positionum theologorum. Quas tamen positiones illis animadversionibus voluimus circumdare, quae nobis reddiderunt ipsas minus persuadentes et minus acceptas.

Ad IIT'''. *Quid ad casum.* Ante solutionem practicam nostri casus, pretium operis putavimus transcribere hic dubium et solu-

¹ Mehkelbach, *Summa theologiae Moralis*, III, n. 956, 5 (ex Heiung, *loc. cit.* pag. 331, nota 3).

² HeriNO, *Esne amplexus reservatus intrinsece malus*, in *Monitor ecclesiasticus* (1854) 477).

tionem casus similis iam saec. XVIII, propositi a Cozza, *Dubia selecta emergentia circa sollicitationem in Confessione sacramentali*, Lovanii 1750, dub. 30, p. 110: « *An denunciandus sit Confessarius qui in Sacramentali Confessione Mulierem conquerentem de lepido sui uiri amore, docet actus turpes cum eodem uiro exercendos.* — 187. Solent aliquando foeminae in Sacramentali Confessione conqueri de Lepido mariti amore; ex quo dari potest casus ut Confessarius *minus prudens doceat* turpes atque inhonestos actus cum proprio viro in amplexibus conjugalibus exercendos, ut illis vir allidatur, atque ad uxoris trahatur amorem; quare dubitari potest, an huiusmodi Confessarius reus sit sollicitationis, atque ideo denunciandus? — 182. In favorem Confessarii militat recta eius intentio; quia non ea ad malum finem docet, neque ut illam ad sui alliciat amorem, vel exterorum; bene vero ut praedicta poenitens huiusmodi actibus, quamvis turpibus, proprium virum ad sui amorem trahere possit, qui cum sit amor conjugalis, necdum est licitus, verum etiam praeceptus: nam praecipit Paulus ut viri uxores suas diligant, et uxores viros. — 183. Nihilominus dicendum est huiusmodi Confessarium denunciandum esse, velut criminis sollicitationis reum. Et ratio est, quia dum docet turpes, et inhonestos actus, quamvis cum proprio exercendos viro: negari minime potest, quin habeat illicitos, atque inhonestos tractatus cum ipsa in sacramentali confessione: ergo praefatus Confessarius subiicitur iudicio Inquisitorum, quemadmodum omnes subjiciuntur Confessarii, qui cum poenitentibus habent in Sacramentali Confessione sermones, et tractatus inhonestos, ad praescriptum Apostolicarum Constitutionum, et praecipue Gregorii XV. — 181. Deinde, praefati actus inhonesti, quos Confessarius docet in praesenti casu, tendunt magis ad voluptatem, quam ad reddendum conjugale debitum, ea < pia decet castitate, et sunt actus provocativi motionum carnalium in se ipsis; quia verba inhonesta, sive tractatus impudici maxime ad libidinem movent; neque absque sacrilegio in Confessione Sacramentali misceri possunt. Tum quia, certum est quod vir habens copulam conjugalem cum propria uxore ob solam voluptatem, et carnalem delectationem, peccat saltem venialiter: ergo Confessarius docens turpes atque inhonestos actus inter virum, et uxorem exercendos, ob solam voluptatem, et maiorem delectationem, docet peccare venialiter: ergo ipse imbecille lethaliter ex sacrilegio; propter iniuriam, quam irrogat Sacramento; et quia in materia venerea, erit certe denunciandus. — 185. Denique huiusmodi turpes et inhonestos actus in uxoris quoque prohibentur...: ergo Confessarius in casu reus est violati canonici juris, ac proinde etiam Apostolicarum Constitutionum, adversus Confessarios

habentes in Sacramentali Confessione tractatus, sive inhonestos sermones cum foeminis poenitentibus. 186. Caveant itaque Confessarii a quocumque inhonesto actu, sermone, aut tractatu in Sacramentali Confessione: superlinas quoque, inutiles, sive potius curiosas in materia venerea, sive in genere libidinis, aut luxuriae, interrogationes vitare curent: quia sancta sancte tractari debent. Neque excusantur a recta intentione, sive bono fine, nam non sunt facienda mala, ut veniant bona. 187. Confirmatur etiam haec nostra opinio ex Decreto Alexand. VII, dato sub die 6 Septembris 1663 quo decrevit puniendum poena carceris per quinquennium, atque inhabilitandum in perpetuum ad audiendas Sacramentales Confessiones, nec non et ad concionandi munus, quemdam Confessarium, qui in Sacramentali Confessione docuerat mulieres modum se habendi cum suis maritis in conjugali copula, consistentem in turpissimis, et inhonestissimis actibus. Ex quo constat, praxim Supremi Tribunalis esse, ut huiusmodi Confessarii talia edocentes puniatur in Sancto Officio ».

Voluimus in extenso textum referre, in utilitatem eorum qui hunc opellum prae manibus habere non potuerint, et quia occasionem dat nobis aliquas animadversiones hic ponendi.

a) In primis relatio cum nostro casu haberi potest, quia etiam in isto casu agitur de confessario qui bona *intentione docet* res turpes saltem sub levi prohibitas, ut dicitur expresse in num. 181.

b) Solutio tamen data, qua sustinetur adesse vere delictum sollicitationis, etsi recta Confessarii intentio fuerit, est contra solutionem e. g. a Dalpiaz et Ortega Chink in simili casu datam, qua requiritur voluntas sollicitandi.

c) Insuper Cozza supponit num. 181 quod etiam ille qui suadet poenitenli ad *leviter turpia* facienda incurrat in delictum sollicitationis, quod a modernis praesertim non dicitur, quatenus isti e contra supponunt quod delictum sollicitationis solum circa graviter turpia, versatur.

d) Insuper num. 185 Cozza supponit, quod revera turpes et inhonesti actus inter coniuges sint prohibiti; sed non distinguit inter actus venereos vel solum impudicos, ut distinguebant etiam tunc temporis moralistae; neque commemorat quod etiam tunc temporis plures moralistae retinebant ipsos actus venereos incompletos inter coniuges, uti in copula reservata, non esse per se graviter illicitos.

e) Num. 187 confirmatur opinio aliquo Decreto Alex. VII; sed uti in contextu dicitur confessarius ille docebat *modum* turpissime se agendi cum marito; et ideo supponitur quod ille confessarius non tantum quoad obiectum consilii; sed etiam quoad *modum* poterat esse occasio sollici-

talionis. Immo hoc forsán Cozza supponit in tota sua solutione casus, in quo forsán supponit quod confessarius ille non honestis verbis sed minus verecunde illa consilia daret; nam num. 181 dicitur: «quia verba inhonesta, sive tractatus impudici maxime ad libidinem movent». Ergo non agitur proprie de verbis *honestis* licet *ad inhonesta* per se incitantibus; sed proprie de *verbis inhonestis* in confessione adhibitibus et ad inhonestia incitantibus.

Pro aliqua relatione cum nostro casu iuval etiam referre saepe citatam Resp. S. Poenitentiariae 2 Sept. 1901: «Tibullus excipiens confessiones mulierum, quarum viri saepe abesse solent, et quae non facile se continent, *docet et suadet* easdem mulieres non peccare in sequentibus casibus: 1) Si desiderando proprium virum absentem, patiantur commotionem sensualem seu pollutionem. 2) Si desiderent hanc eandem pollutionem in se experiri ex ardenti desiderio viri absentis. 3) Si pollutionem in se excitent lactibus secum habitis, dummodo hos actus referant ad virum absentem. — S. Poenitentiariae dilecto in Christo . . . scribenti subiungit: «iam bis hac sub re sacro Tribunali responsum fuisse, et actus huiusmodi esse graviter illicitos, et *confessarium eos probantem esse denuntiandum*». Proh dolor non possumus citationem fontis directi et primi dare, ex quo fuisset possibile etiam perpendere, quomodo quaestio posita fuisset: omnes auctores, quos vidimus, unus ab altero illam desumunt. Agitur tamen de confessario qui, nescitur num bona vel mala fide, *docet et suadet* aliqua quae sunt *certe, et graviter prohibita* circa castitatem coniugalem. Etiam in nostro casu Ianuarius *docet et suadet* amplexum reservatum; sed non constat, uti videbimus, num iste amplexus sit *semper graviter illicitus*; ideo casus S. Poenitentiariae habet relationem solummodo, quatenus etiam Tibullus forsán bona fide et ignorantia egit, sine intentione sollicitanti, et quatenus non dicitur ille inverecunde de illis loqui.

Diximus autem similem casum hisce annis iam descriptum solumque fuisse a Jone atque a Dalpiaz*. Attamen si bene conferantur species facti inveniri possunt plures divergentiae a casu nostro. Casus enim ille potius de onanismo intendebat agere; nam dicitur: «etsi usu compertum haberet fere semper pollutionem esse secuturam»²; noster vero casus proprie de amplexu reservato agit: «etiamsi per accidens

* H. Jone, (*Missbrauch der Ehe und Sollicitation*), in *Theol. prakt. Quartal.*, 8 (1892) 120-125; V. Dalpiaz, *De abusu matrimonii et crimine sollicitationis*, in *Apollinaris*, 6 (1933) 244-249.

¹ Jone, *loc. cit.*, pag. 120; Dalpiaz, *loc. cit.*, pag. 217.

nonnumquam seminatio ipsa interveniat ». Insuper in illo casu evidenter non cognoscitur monitum S. Officii de «amplexu reservato»; in nostro vero casu non tantum iit expressa mentio de praedicto monitu ; sed quaeruntur etiam consequentiae illius moniti quantum ad delictum sollicitationis.

Iiis praemissis, dicimus in nostro casu Januarium *per se* non incurrisse in delictum sollicitationis ob sequentes rationes : 1) Januarius non habuit intentionem ad inhonesta et turpia sollicitandi vel provocandi, ut dicitur in Constitutione Ben. XIV. Nam Januarius putabat illum modum esse licitum. Neque ex descriptione casus deducitur ipsum quoad *modum* loquendi ostendisse aliquam morbositatem inverecundam. 2) Monitum S. Officii non intrat in meritum intimae moralitatis, sed prohibet de ipso amplexu reservato loqui quasi lex Christiana nihil haberet objiciendum. Januarius vero, licet bona fide, ipsum *suadet* ; cum econtra monitum etiam suadere prohibeat. Sed non constat, utrum ille amplexus reservatus sit moraliter semper et graviter prohibitus. Ideo si Januarius illum suasit bona fide honestis quidem verbis et *dummodo ille certus fuerit practice coniuges sine proximo periculo pollutionis illum agere posse* per se non incurreret ex hac parte in delictum sollicitationis ; quia ad hoc incurrendum requiritur ut sollicitetur ad aliquod peccatum *grave* (non sufficit probabilis *leve*) circa turpia.

Ex casus nostri descriptione revera non apparet sufficienter, num Januarius sciret coniuges illum amplexum posse agere sine proximo periculo pollutionis; sermo iit tantum de seminatione *per accidens* nonnumquam secutura. Attamen practice, saltem in initio, potest evenire, quod coniuges amplexum reservatum exerceant cum *periculo proximo pollutionis* in uno alterove coniuge ; unde evenire potest quod in initio huius praxeos coniuges, qui se exponant proximo periculo pollutionis scienter et volenter, etiam graviter peccare possunt. Unde in tali casu, scii, quando coniuges practice in initio huius amplexus reservati sunt in proximo periculo pollutionis, confessarius non potest dolose amplexum reservatum ne quidem honestis verbis suadere, quin incidat in delictum sollicitationis. In hoc casu ipse sollicitaret ad aliquid quod practice iit cum proximo periculo pollutionis et ideo cum gravi peccato.

Potest utique evenire quod hoc dubium sil; sed ideo maxime attendendum est monitum. S. Officii, quod incriminât non solum illos, qui amplexum reservatum describunt inverecunde sed etiam illos qui ipsum laudant vel suadent. Confessarius autem maxime attendere debet non tantum ne incidat in delictum sollicitationis, sed etiam ne incidat in peccatum sollicitationis et ut sancte sancta tractet. Immo etiam extra

confessionem sacerdotes, iuxta idem monitum, maxime attendere debent, ne circa moralitatem ipsius amplexus reservati conscientias fidelium dirigant in aedificationem carnis potius quam in aedificationem gratiae.

Januarius insuper sic ratiocinatur: «praeterea iuxta doctrinam omnium in theologia morali peritorum leges cum incommodo extraordinarie gravi non obligare». Ista ratiocinatio tamen revelat ipsum Januarium proprie non intelligere principia moralia neque illa ad praxim et ad casus applicare scivisse. Grave enim incommodum numquam excusat a legibus praecipientibus aliquid iure divino intrinsece prohibitum uti est onanismus inter coniuges. in casu etenim nostro vel non agitur de onanisme sed de vero amplexu reservato, de quo non constat utrum sit graviter prohibitum, uti diximus et tunc non valet principium de gravi incommodo a Januario inductum; vel agitur de vero onanismo et tunc neque sufficit illud grave incommodum, quia agitur de aliqua lege divina, quae vetat aliquid intrinsece prohibitum, uti est onanismus.

Antequam finem huic expositioni imponamus iuvat aliquas *conclusiones* dare:

a) *Quoad delictum sollicitationis*: theoretice dubium quidem est, num delictum adsit, quando, honestis quidem verbis, ignoranter vel scienter, *attamen sine voluntate sollicitandi*, aliquis inducitur in Confessione ad actiones graviter vel leviter turpes. Practice, data discussione in doctrina, nequit imponi denuntiatio delicti sub poena excommunicationis; attamen practice ex responsione S. Poenitentiariae 2 Sept. 1904 debet imponi denuntiatio illius, qui docet aliquid licitum circa sextum, quod revera est illicitum. Licet haec denuntiatio ab aliquibus non consideretur in sensu can. 2368, § 2; tamen practice Superiores competentes, quibus illa denuntiatio fit, indicabunt etiam, num, ex omnibus enarratis circumstantiis, adsit quoque delictum sollicitationis.

b) *Quoad amplexum reservatum* relate ad delictum sollicitationis: non constat certe in doctrina, utrum revera amplexus reservatus sit semper prohibitum aut semper sub gravi; et consequenter non constat, utrum sit semper obiectum delicti sollicitationis, (quando de ipso agitur in Confessione. Si tamen e. g. ipse amplexus reservatus *inverecunde et inhonestis verbis dolose ad sollicitandum describitur* in Confessione tunc certe est obiectum delicti sollicitationis.

c) *Quoad casus propositi solutionem*: Januarius attenta descriptione, non incidit practice in delictum sollicitationis quia probabiliter eius bona intentio et dubium in doctrina de gravitate peccati in praxi amplexus reservati, excusant illum. Attamen si ipse sciret in casu I ladriani (qui ut dicitur non habet praxim de amplexu reservato) in initio (ut

non raro contingit) illum amplexum fieri non posse sine *proximo periculo pollutionis*, lunc Januarius si dolose hoc fecerit, certe est denuntiandus ut reus delicti sollicitationis. Si econtra in hoc ultimo casu *ignoranter et inconsiderate* fecit, non est reus delicti probabiliter ; attamen denuntian- dus esset Superioribus lanquam ignarus rei moralis, quod etiam arguitur ex eius argumentatione de gravi incommodo excusante ab omni lege. Denique practice maxime Januarius omnesque curatores servare debent scrupolose monitum S. Officii 30 iun. 1952 ne ipsa cura pastoralis evadat in ruinam potius quam in salutem animarum.

Her men eg il dus Lio, O.F.M.

DE VETITA CLERICIS MERCATURA

Evagrius, economus provincialis alicuius congregationis religiosae, etiam post decretum S. Congregationis Concilii diei 22 martii 1950 pergit in actionibus societatum industrialium vendendis ac emendis, non prohibitam retinens negotiationem cambiariam. Pergit insuper adhuc vendere cum immodico lucro obiecta religiosa prope Sanctuarium cuidam Communitati suae religionis adnexum, quia lucrum necessarium reputat ad dandam communitati et ideo Sanctuario independentiam economicam; nonnullas singulas actiones mercaturae proprie dictae, sed diversae indolis exercet, quia censet canonibus 112, 2380 et supradicto decreto puniri habitum mercaturae, non actum.

Apollonio sacerdoti saeculari, (pii ante praedictum decretum S. C. Concilii domum rusticationis gerebat, a (pia non parvum lucrum habebat, suggerit ut administrationem apparenter remittat propriis consanguineis, quibus ipse consilio adsistat, et ita poenas comminatas evadat.

Occasione spiritualium exercitiorum scrupulis exagitatus, ad confessarium pergit ad consilium petendum et ut, si opus fuerit, suae conscientiae provideat.

Quaeritur :

- 1) Quid de crimine illiciti exercitii mercaturae.
- 2) Quid de comminatis poenis.
- 3) Quid ad casum.

Solutio

Ad lum. - Mercatura et negotiatio, quae plerumque indiscrete usurpantur, non idem per se audiunt, quatenus negotiatio, lanquam genus, est iuxta Vermeersch « omnis, in finem immediate temporalem facta, rerum pretio aestimabilium commutatio, praecise per emptionem ven-

ditionem » 1 : mercatura vero, tanquam species, restringitur ad emptionem venditionem mercium. Cum tamen ipse Codex hos terminos promiscue adhibeat, nemo sane nobis succenseat, si eandem semitam teramus.

Ad consulendum dignitati, libertati atque demum sanctitati clericorum et status clericalis, iuxta monitum S. Pauli, secundum quem nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus »¹ atque repetens Concilium Tridentinum³, can. 142 C.I.C. statuit : « Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem ». Canone autem 2380 « clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem per se per alios exercentes contra praescriptum can. 142 congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur ».

Die vero 22 martii 1950 editum est a S. Congr. Concilii decretum in quo post commemoratum praescriptum can. 112 et sanctionem poenalem can. 2380 talia disponuntur : « Quo firmior et magis uniformis ecclesiastica disciplina hac de re habeatur atque abusus praecaveantur, SS. mus Dominus Noster Pius Pp. XII statuere dignatus est ut Clerici et Religiosi omnes ritus latini, de quibus in cann. 487-681, ne exceptis quidem recentium Institutorum saecularium sodalibus, per se vel per alios, mercaturam seu negotiationem cuiusvis generis, etiam argentariam, exercentes, sive in propriam sive in aliorum utilitatem, contra praescriptum can. 112, utpote huius criminis rei, excommunicationem latae sententiae Apostolicae Sedi speciali modo reservatam incurrant et si casus ferat, degradationi quoque poena plectantur. Superiores vero qui eadem delicta, pro munere suo ac facultate, non impediverint, destituendi sunt ab officio et inhabiles declarandi sunt ad quodlibet regiminis et administrationis munus. Pro omnibus denique, quorum dolo vel culpae patrata facinora tribuenda sint, firma semper manet obligatio reparandi damna illata »^J.

Cum tamen clericus, religioso paupertatis voto non adstrictus, de suis oculis vivere debeat, qui recte pro prudentia administrandi sint, ipsaque bona ecclesiastica et religiosa, iuxta praescripta canonum, boni

¹ *Theologia Moralis*, III, 19 praeter hunc praeclarum auctorem, prae oculis praesertim habuimus: Wernz-Vidal, *Ius canonicum*, II, 120 sg.; Beste, *Introductio in Codicem* ad cann. 112 et 2350; Commentarium ad decretum S. Congr. Concilii 22 martii 1950, in *Monitor Ecclesiasticus*, A. LXXV, II pag. 171 ss., ubi copiosior bibliographie exhibetur.

² *Tim.* 2, 4.

³ Sess. 22, cap. 1 de reform.

* AAS, XLII, 1950, pag. 330-331.

patrisfamilias navitate et sagacia sint administranda : videndum est quaenam negotiatio aut mercatura per can. 142 sil clericis religiosisque prohibita.

Distinguunt itaque nostri quadruplex negotiationis genus.

Datur in priinis negotiatio *oeconomica*, quae in eo consistit quod res vel merces acquirantur propriae vel familiae necessitati aut utilitati profuturae : adeo, ut si quid supersit, congruo, licet aliquantisper aucto, pretio vendantur in propriam vel familiae utilitatem. Uniusmodi negotiatio clericis non prohibetur, imo aliquando suadetur, si id exigat recta et aequa bonorum ecclesiasticorum clericis concreditorum administratio. Caveant tamen clerici ne in tali negotiatione peragenda speciem praeseferant mercatorum aut negetiatorum saecularium, potius quam patrum familias de bono ecclesiae de eiusque decore sollicitorum.

Alia est negotiatio *politica*, qua clericus sine proprio emolumento in commodum alicuius communitatis, paroeciae, operis pii etc. negotiatur necessaria, ob finem utique religiosum, socialem, caritativum etc.

Haec negotiatio communiter clericis non licet, non solum quia eos maxime implicat negotiis saecularibus, cum detrimento ipsorum vitae spiritualis, sed etiam quia est maximis periculis plena et clericos societate plerumque coniungit cum negotiatoribus et mercatoribus, latissimae quidem conscientiae, sin mendacibus et falsis, qui clericorum nomine et auctoritate abutentur. Cum licentia Sanctae Sedis vel saltem Ordinarii ad normam can. 81 huiusmodi negotiatio permittitur tantum in oeconomicae rei discrimine, ad providendum pauperibus, ne fame pereant. Ex usu recepto licet quoque superioribus Seminarii, Collegii etc., in commodum alumnorum, aliquas merces emere atque alumnis vendere, aucto aliquatenus pretio pro expensis et incommodo.

Alia est negotiatio *lucrativa* vel *quaestuosa*, in qua res ideo acquiruntur ut dein immutatae maiori pretio vendantur: quod plerumque iit per acquisitionem mercium magna quantitate atque per earum venditionem in parva (al deltaglio). Haec negotiatio unicum finem, ut patet, habet lucrum, eaque idcirco clericis districte vetatur *

† Duplex tantum datur exceptio, quasi ex necessitate. † Prima est : si clerico ex aliquo titulo honesto, puta, hereditatis, deferatur aliquod negotium quod sine detrimento dimitti nequeat, clericus potest illud saltem ad tempus per laicam personam exercere, expetita prius facultate a S. C. Concilii intra Italiam, a proprio Episcopo extra Italiam ; secunda est : si clericus tali inopia laboret ut honestae sustentationi sui ipsius vel consanguineorum providere nequeat, potest, expetita prius licentia a S. Congr. Concilii intra Italiam, a proprio Episcopo extra Italiam, alicui negotiationi etiam proprie dictae operam dare. Licentia autem concedi potest solum si nulla alia via providendi honestae sustentationi suppeditet et negotiatio talis non sit quae statum clericalem dedecet . (Won. *Eccl.* LXXV, 11, pag. 175).

Uniusmodi negotiationi accensetur *cambium*, si fine lucri exercetur. In cambio merces quae acquiritur est pecunia, et ideo acquiritur ut dein, pretio aucto per collybum (vulgo *agio*), aliis vendatur (huiusmodi negotiatio *argentaria* vocatur). Cambium est *manuale* si pecunia praesens cum alia pecunia praesenti, v. c. chartacea pro moneta, aurea pro argentea, commutatur: est *Iraiccticum*, si pecunia praesens traditur aut pro pecunia solvenda post certum tempus (*cambium temporale*), aut pro pecunia alio in loco v. c. in America pro Italia, accipienda (*cambium locale*): quod ultimum fieri solet per litteras cambiales seu collybisticas. Vocatur *camp-sarius* is qui tales permutationes petit: is vero, qui talibus negotiis permutandae pecuniae indulget, *camp-sor* seu cambiator, nummularius, argentarius etc.). Ut patet, clericis interdicitur officium camp-soris.

Cum, prouti diximus, clerici vetita sit negotiatio quaestuosa, ex consuetudine tamen apud nos late vigenti iisdem permittitur (nisi obstet peculiaris prohibitio Ordinarii) revendere in commodum fidelium libellos precum, et devotionalia, sc. rosaria, cruces, numismata, effigies sacras aliaque id genus, percepto quoque moderato emolumento pro expensis et incommodo.

Quartum negotiationis genus est negotiatio *industrialis seu artificialis*, (pia res pretio comparatae vel utcumque possessae per artem vel industriam immutantur atque immutatae cum lucro venduntur.

Utrum talis negotiatio licita sit clericis necne, dispiciendum est ex modo quo fit. Nemo negat clericum posse res suas, v. c. uvas, olivas, segetes, etiam per famulos conductos immutate et carius vendere: id enim perlinet plerumque ad rectam priorum bonorum administrationem, (piae clericis, uti diximus, haud illicita esi. Quid vero si ars vel industria exerceatur circa res hoc line emptas? Mulli ila distinguunt: si ars vel industria lit ab ipso clerico vel ab alumnis alicuius scholae industrialis sub regimine cleri, interdicta non videtur negotiatio, licet alumnis aliqua modica rependatur compensatio, in praemium laboris el adsiduilitatis (nequeunt enim tales alumni aequiparari operariis vel famulis stipendio conductis). Si vero ars vel industria exerceatur per operarios vel famulos conductos, cum ex communi doctorum aestimatione talis operatio constituat veram negotiationem, ea clericis interdicta est.

Id tenebant communiter doctores ante datum decretum S. Congr. Concilii d. 22 martii 1950: «At nunc, scribit *Monitor Ecclesiasticus* — attento line recentis Decreti, (pii est firmiorem atque magis uniformem reddere ecclesiasticam de hac re disciplinam atque abusus praecavere, el attentis verbis eiusdem Decreti, (piae negotiationem el

mercaturam cuiusvis generis prohibent, censemus et artificialem negotiationem prohibitam esse clericis et religiosis. Qui, si rationabiles causas habeant, talem negotiationem exercendi licentiam a legitimis Superioribus impetrare tenentur. In casu autem legitimus superior est Sancta Sedes, quia Decretum prohibens a Sancta Sede promulgatum est » * Quod nobis quoque verius videtur. Attamen cum Decretum prohibens mercaturam seu negotiationem cuiusvis generis se referat expresse ad praescriptum can. 121, in quo doctores et commentatores non comprehendebant negotiationem artificialem factam industria et arte clericorum propria : cum insuper illa expressio *cuiusvis generis* bene explicetur sive per alia genera negotiationis improprie dictae et nihilominus prohibitae sive per verba quae sequuntur : *cliam argentariam* : cum uniformitas et firmitas de qua *Monitor*, rite obtineatur per censuram latae sententiae, non Ordinariorum arbitrio, ut antea, subiectam ; cum denique negotiatio illa scopum plerumque habeat suae suorunque sustentationi providendi, idque fiat opera manum propriarum : demisse opinamur non posse cum omni certitudine et iam indiscrete admitti quod censet *Monitor*.

Quaeri hic polest an liceat clericis emere et vendere *titulos* seu nomina quibus creditores fiunt (*obligationes*) vel socii (*actiones*) alicuius societatis industrialis vel mercatoriae. Profecto nemo negat clericos posse emere obligationes cuiusvis societatis honestae, dummodo id faciant de pecunia propria. Quemadmodum enim licet clericis obligationes publicas Gubernii acquirere vel etiam suas pecunias, congruo et honesto stipulato auctario, personis privatis mutuo dare (et hoc omnes concedunt), nulla apparet ratio cur idipsum facere non possint quoad obligationes honestae societatis industrialis vel commercialis. Pariter negari non polest, quia res pertinet ad puram negotiationem oeconomicam, clericum posse, seclusa positiva voluntate negotiandi, emptas obligationes aliis vendere, oblata quidem favorabili opportunitate, et pecunias reportatas aliis aequae frugiferis vel etiam tutioribus ditioribusque titulis collocare.

Disputatur vero de actionibus, quibus emptor sit socius societatis industrialis vel commercialis, ideo non percepit solum, uti in obligationibus, aliquod fixum auctarium, donec sors reddatur, sed sit particeps fluctuantis lucris ipsius societatis.

1 A. LXXV, fasc. 2, pag. 176.

- Cuius disciplina et consequens doctrina iuxta multorum doctorum sententiam, substantialiter non mutatur, cf. Jo ne, *Compendio di teologia morale*, n. 139.

Aliqui absolute negant, quia in hac emptione vident participationem aliquam negotiationis vel mercaturae. Alii omnium actionem emptionem permittunt, quia harum possessores in communi aestimatione non habentur veri negotiatores et quia clerici, per unam harum actionum emptionem, neque scandalum neque admirationem praebent, neque distrahuntur ab sui status officiis. Alii denique sic distinguunt: si agitur de societatibus industrialibus, quibus scilicet fructus percipitur ex natura optima industria excolta (v. g. de societatibus fodi- narum, vel viarum ferrearum), optime licet, quemadmodum licet proprium fundum excolere vel bonis viis instruere, intra oeconomicae nego- tiationis limites. Non licet vero, si agitur de societatibus pure commer- cialibus, quia per talium actionum possessionem clerici fiunt coope- ratores negotiationis proprie dictae. Alii demum, sed nimis subtiliter, distinguunt inter societates constitutas et constituendas etc.

Quid igitur tenendum est? Ni fallimur, clerici arcendi sunt saltem ab emptione actionum societatum commercialium, per quam negotiatio vel mercatura strictius exercetur; at cum circa hanc quoque emptionem concordia inter doctores non habeatur, non audemus ne in hac quidem emptione figuram delicti videre, quamvis Monitor concepte videat, dum affirmat: « Violatio legis habetur. . ., ob implicitam cooperationem in activitatem mercatoriam, per collocationem pecuniae in emptione actorum societatum mercatoriarum »¹. Profecto decretum recens S. Congregationis Concilii, quoad figuram delicti, essentialiter non mutat praescripta cann. 12, 2230: iuxta quae, discordantibus auctoribus, ob principium strictae legis poenalis interpretationis, prohibita sub poena non erant emptiones actionum quarumvis: imo scribebat *Beste*: « Opinio theoretic probabilior, practice certa et iuri moderno conformior, clericos actiones comparare sinit indiscriminatim, sive agatur de societate constituta sive constituenda, industriali vel commerciali, modo serventur cautelae a S. Sede exigui solitae »². Inter quas cautelas est ut

¹ Art. cit., pag. 180.

² *Introductio in Codicem*, pag. 195: ubi referuntur responsa favorabilia S. Officii <l. 17 nov. 1875 et d. 15 aprills 1885. necnon responsum S. Congr. de Prop. Eide <l. 7 iulii 1893. Rescripsit S. Officium die 17 nov. 1875: « Non sunt inquietandi qui nomina vel actiones, viarum ferrearum similiumque societatum aut arcarum publicae utilitati inservientium de sua pecunia acquirunt, dummodo parati sint stare mandatis Sedis Apostolicae et certo sciant eas societates nullum habere propositum finem illicitum vel quomodo libet suspectum, et dummodo nullam in iis societatibus administrationis partem suscipiant, neque actionum earundem societatum negotia- tionem exercent. Die vero 15 aprills 1885 idem S. Officium respondit: « Juxta exposita et attentis peculiaribus temporum circumstantiis personas ecclesiasticas non esse inquietandas, si emerint aut emant actiones titulos mensae nummulariae...

<le societate honesta agatur : ne clericus munus directivum vel administrativum in ea habeat : ut actiones acquirantur de pecunia propria, non mutuata : ne denique eae acquirantur animo eas in foro argentario dein carius vendendi, more aliorum negotiatorum, igitur animo negotiandi. t't patet, hoc animo secluso, haud illicitum est actiones licite emptas opportuniore conditione vendere reportalasque pecunias tutioribus ditioribusque titulis collocare : prout diximus de obligationibus.

Cum de actionibus emendis vel vendendis doctores discrepent, omnes tamen uno ore illicitas habent pro clericis negotiationes illas, veras vel lictas, quae vulgo dicuntur *giochi di borsa, speculationi di borsa* (cfr. etiam decr. S. Officii d. 15 apr. 1885).

Hactenus de materia delicti, quae gravis, ut palet, esse debet. Quidam praesertim | inter veteres, nimium sistentes in verbo legis, atque interpretantes illud : *exercentes* (quod revera significat pluralitatem actuum moraliter unitorum) nimis stricte, excusaverunt a delicto eos clericos qui mercaturam habitualiter non exercerent, licet in magna quantitate, sed una tantum vice, mercati essent. Quod quidem, praesertim hodie post datum decretum S. Congr. Concilii, atque pressius enucleatum spiritum legis, teneri non posse censemus. Merito scribit *Monitor* : Aviditatem lucri sapii non solum habitus negotiandi, sed etiam unus actus negotiationis, qui in magna quantitate ponitur, puta negotiatio argentaria ingens. Inde censemus a peccato gravi non excusari non solum clericum vel religiosum, qui habitum negotiandi habet et plus quam semel atque iterum actus negotiationis ponit, sed etiam clericum vel religiosum qui ponit unum actum negotiationis in gravi quantitate quae materiam gravem constituit»². Idem *Monitor* censet gravitatem materiae, hic esse computandam secundum normas quae gravitatem materiae in laesionibus iuslitiae determinant³, ita ut clericus vere videatur pecuniae et lucri avidus.

Delictum negotiationis et mercaturae tunc consummatum habetur cum emptio venditio iuridice in suo esse consistit. Neque eius species

dummodo paratae sint stare mandatis S. Sedis, et se abstineant a qualibet negotiatione dictarum actionum, seu titulorum, et praesertim ubi omni contractu, qui speciem habeat, ut dicitur, *dei giochi in borna*

In eandem benigniorum sententiam concedit, nullis allegatis auctoritatibus, Vehmeekscii, *Thcol. mor.* III, 20.

¹ Inter recentes D'Awiba1e, *Summula* III, 15G : Vehmeebscii, *Thcol. mor.* III, 20.
¹ art. cit., pag. 177.

³ ib.

mutatur si clericus per alios, vol in aliorum utilitatem eam exerceat.

Ad II''''. Iure codicis omnes poenae in clericos patrantes delictum mercaturae erant ferendae sententiae: «congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur» (can. 2380). Iuxta vero decretum S. Congr. Concilii d. 22 martii 1950, clerici et religiosi ritus latini de quibus cann. 187-681, necnon sodales recentium Institutorum saecularium (cfr. Const. *Provida Mater Ecclesia*, Pii PP. XII), qui crimine negotiationis et mercaturae, iuxta ea quae dicta sunt superius (quando nempe de crimine certo constet) se maculaverint, incurrunt in excommunicationem latae sententiae, scilicet ipso facto incurrendam, Sanctae Sedi specialiter reservatam.

Pro casibus gravioribus idem decretum comminatur insuper poenam gravissimam degradationis, de qua in can. 2305. Haec tamen est ferendae sententiae, ideo infligi debet a indice vel a Superiore (can. 2217 § 1, n. 2), praemissis monitionibus a lege statutis (cann. 2233 § 2, 2211 § 2), vel per solam sententiam (degr. verbalis seu edictalis), vel servatis sollemniis in Pontificali Romano praescriptis (degr. *realis*) (can. 2305 § 3).

Destitutio ab officio et inhabilitas ad quodlibet regiminis et administrationis munus, Superioris decreto infligenda, inuritur Superioribus qui delicta mercaturae seu negotiationis, de quibus supra, pro munere suo ac facultate non impediverint.

Reparatio demum damnorum, de qua loquitur decretum S. Congr. Concilii, non est poena sed obligatio iustitiae commutativae, quae tenet non solum auctorem principalem delinquentem cum dolo vel culpa, sed etiam cooperatores, iuxta normas communes, a doctoribus traditas. Conferantur quae adicit, opportune quidem, *Monitor* in saepe citato commentario ad Decretum

Ad — Evagrius, oeconomus provincialis alicuius congregationis religiosae, etiam post decretum S. Congregationis Concilii d. 22 martii 1950 pergit in actionibus societatum industrialium emendis atque vendendis, non prohibitam relinens negotiationem cambiariam. Casus non dicit utrum id Evagrius faciat animo negotiandi an vero providendi dumtaxat redae bonorum sane congregationis administration!. Si, uti praesumitur, tantum ob hunc ultimum finem actiones industriales emit et vendit, cum, prouti diximus, illicitum non sit saltem

industriales actiones emere et vendere, non cadit Evagrius sub poenis decreti.

Pergit insuper adhuc vendere cum immodico lucro objecta religiosa prope Sanctuarium cuidam suae religionis communitati adnexum, quia lucrum necessarium reputat ad dandam communitati et ideo Sanctuario independentiam oeconomicam. Illud recte tamen ! Nam si ex consuetudine in commodum fidelium introducta, licet clericis et religiosis isliusmodi objecta prope ecclesias et sanctuaria vendere, aucto aliquantisper pretio ob expensas et incommodum : non licet idem facere cum *immodico lucro* : quod si providet independentiae oeconomicae communitatis, admirationem et scandalum in fidelibus excitat et religiosos exosis mercatoribus similes facit. Ad procurandam independentiam oeconomicam Evagrius ad alia media recurrat, vel saltem impetret licentiam S. Sedis, quae praescribet cautelas adhibendas ne religiosi mercatores videantur, e templo eiciendi.

Idem Evagrius nonnullas singulas actiones mercaturae proprie dictae sed diversae indolis exercet, quia censet canonibus 142, 2380 et supradicto decreto puniri habitum mercaturae, non actum. Iuxta superius dicta, praesertim post decretum S. Concilii, non tantum habitus, sed ipse quoque actus mercaturae prohibetur, si quidem gravem et vere notabilem materiam attingat (ut fieri potest in negotiatione argentaria). Quicquid tamen est, licet Evagrius diversi generis actus mercaturae ponat, mercaturam fere ex habitu exercet : quod penitus repugnat et spiritui et litterae cum canonis tum decreti. Itaque si materia gravis attingat, neque excuset, ad normam ss. canonum, ignorantia, Evagrius poenam excommunicationis misere contraxit.

Denique hic religiosus, qui in materia hac non delicatae videtur conscientiae, Antonio sacerdoti saeculari, qui ante decretum Concilii domum rusticationis gerebat, a qua non parvum lucrum habebat, suggerit ut administrationem apparenter remittat propriis consanguineis, quibus ipse consilio adsislat, et ita poenas evadat. Revera poenas evadet Antonius, si administrationem *vere* relinquat, licet opituletur consilio consanguineos novos administratores : at si administrationem relinquat solum apparenter, ita ut tandem aliquando lucrum sibi cedat, licet occulto, licet compensatione facta consanguineorum, qui nomen coram lege commodant, Antonius poenas decreti minime effugiet.

Haec omnia postquam dixerit confessarius, a quo Evagrius scrupulis nunc agitato consilium petit, continuo et enixe eum adhortetur ut spiritum legis fidelius sequatur, veras divitias intensius amet atque ut bonus religiosus, qui suis subditis exemplo praeesse debet, vestigia

Ierat Christi, qui « propter nos egenus factus est, cum esset dives »¹:
ne mereatur condemnationem S. Hieronymi: Negotiatorem clericum
tanquam pestem fuge »².

Pericles Felici.

¹ 2 *Cor.* 8, 9.

² *Ep.* 52 *ad Nepotianum*, PL XXII, 531.

XII.

DE POENIS IN ATTENTANTES MATRIMONIUM

Aurelius, sacerdos, ad sacerdotium importunis matris suasionibus potius quam vera vocatione promotus, brevi post ordinationem, evagatus animo, nonnullis illecebris allectus, tandem clericale veste sponte dimissa, ad instar viri laici mercaturae se totum dedit, a meridionalibus Italiae regionibus ad septentrionales se conferens.

Tempore belli, opportunas circumstantias nactus, ob impossibilitatem relationum inter duas Italiae partes, matrimonium religiosum cum Heriminia, sponsi conditionis ignara, attentavit. Non multo post sponsa, de tanto scelere certior facta, nihilominus in nefaria cohabitatione perseveravit.

Occasione anni marialis in quodam sanctuario ad confessarium accedunt.

Quaeritur :

- 1) Explicatio canonis 2388 C. J. C.
- 2) An Aurelius et Heriminia in censuram incurrerint.
- 3) Quid Aurelio et Heriminiae, nunc 40 annos, plus minusve gentibus, sit a confessario iniungendum.

Solutio

Ad Ium. — Explicatio canonis 2388 C.C.

luebit praeprimis referre canonem :

§ 1. — Clerici in sacris constituti, vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam ; clerici praeterea, si moniti, tempore ab Ordi-

nario pro adiunctorum diversitate praefinito, non resipuerint, degradentur, firmo praescripto can. 188, η. 5.

§ 2. — Quod si sint professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, omnes, ut supra, excommunicatio tenet latae sententiae Ordinario reservata ».

Sola paragraphus Ia respicit casum, sed vanum non erit etiam paragraph! 2ac meminisse.

In par. Ia excommunicatio irrogatur tribus personarum generibus:

1) clericis in sacris constitutis qui praesumunt contrahere matrimonium ;

2) regularibus et monialibus idem crimen patrantibus ;

3) omnibus illis, tam viris quam mulieribus, qui delicto participant.

Ecclesia hanc censuram inurit ut puniat tum violationem iuris divini quae respicit vota, ob virtutem religionis servandam, tum violationem legis ecclesiasticae, constituentis in rationem impedimenti dirimentis susceptum Ordinem sacrum et emissa vota sollemnia (cann. 1072 et 1073).

Verba canonis expendamus :

Clerici in sacris constituti : huiusmodi sunt subdiaconi, diaconi, presbyteri, non ergo simpliciter tonsurati vel illi qui solos minores ordines susceperunt ;

vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis : cum agatur de re strictae interpretationis, regulares habendi sunt illi qui vota emiserunt in aliquo Ordine, et moniales computandae religiosae quae vota sollemnia nuncuparunt. Quapropter non plectuntur excommunicatione religiosi qui vota simplicia emiserunt, postulantes vel novitii Ordinum, regulares qui emittunt professionem temporariam, religiosi (pii emittunt vota simplicia ex speciali praescripto Sanctae Sedis matrimonium irritantia, religiosae quarum vota sunt quidem sollemnia in Instituto cui ipsae perlinent, at quibusdam in locis ob dispensationem Sanctae Sedis sunt simplicia. Si agitur de professione sollemni, requiritur ut sit valida. Si quid sit contra valorem professionis, etiamsi professus ignoret, non incurrit in excommunicationem. Excommunicatione, demum, plectuntur quotquot, viri vel mulieres, contrahunt cum explicatis personis (cfr. etiam can. 2209, § 2).

Matrimonium, etiam civiliter contractum, contrahere praesumentes : obiectum censurae est matrimonium. Simul ac mutuus consensus adest, delictum committitur et excommunicatio incurritur. Prae sollemnibus votis vel praesumpto Ordine, matrimonium est nullum. Attamen.

si etiam ex alio capite (consanguinitate, affinitate) matrimonium esset nullum, censuram quis itidem incurreret (cfr. responsionem S. Officii diei 13-1-1892). Cum lex supponat plenam cognitionem et deliberationem (cfr. can. 2229, § 2) ignorantia iuris vel facti, etiam crassa et supina, metus etiam levis, uno verbo omne id quod minuit imputabilitatem, sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis, excusat ab hac censura. Quam ergo contrahentes tunc solum incurrunt, si sciunt adesse impedimentum et censuram. Si persona saecularis, compactis conditionem ignorans, bona fide contraxit matrimonium ex. gr. cum diacono, vel presbytero, vel religioso sollemniter professo, re comperta, debet a compacte discedere; si non discedit, peccat, sed non incidit in censuram: deest enim « praesumptio contrahendi matrimonium ». Omnes concedunt delictum non consummari (ideoque poenas non irrogari) si adsit error aut metus gravis in consensu. Sed non omnes conveniunt quod attinet ad consensum simulatum, aliis opinantibus delictum consummari etiam simulato consensu, aliis id negantibus et consequenter docentibus in censuram non incidi si alterutrius consensus sit simulatus.

Poenae infliguntur etiam pro solo matrimonio civili; quod non fit ob cohabitationem concubinariam, etsi publicam vel notoriam. Verbum *praesumentes* » refertur sive personis quae contrahunt cum clericis vel religiosis professis, sive his ipsis clericis vel professis. Non est necessarium ut matrimonium consummetur ad incurrendum in censuram.

Censura in quam incidunt personae quae commiserunt delictum, est *excommunicatio latae sententiae simpliciter reservata S. Sedi*.

Effectus huius censurae sunt:

a) Omnia officia quae clericus in sacris detinebat, sunt ipso facto et absque ulla declaratione vacantia ob tacitam renuntiationem (cfr. can. 188, n. 5);

b) si clericus, postquam debile monitus fuerit, non resipiscat intra temporis spatium ab Ordinario statutum, debet degradari;

r) regulares et religiosae debent ipso facto haberi legitime dimissi ab Ordine vel Congregatione (cfr. can. 616, § 1).

Absolutio sacerdotum ab excommunicatione de qua agimus eorumque admissio ad sacramenta « more laicorum » reservatur modo exclusivo S. Poenitentiariae (cfr. decretum S. Poenitentiariae diei 18 aprilis 1936; I maii 1937). Etiam exclusivo modo, ut in casu su-

pradicto, numquam el a nullo, ne cardinalitia quidem dignitate pol-
lente, posait absolutio concedi, nisi concessa sit ab eadem S. Poenite-
nliaria specialis facultas. Nec licet uti can. 2251 : unica namque
exceptio in relato decreto d. 18 aprilis 1936 fit pro casu periculi mor-
tis, pro casu nimirum in quo quilibet sacerdos valet absolvere. Sed
etiam in casu recuperatae salutis post susceptam in periculo mortis
absolutionem, adest obligatio recurrendi ad S. Poenitentiarium, modo
praescripto in can. 2252. Dictum decretum respicit clericos et religiosos
qui 1) susceperunt ordinem presbyteralem ; 2) contraxerunt matrimo-
nium etiam civile; 3) volunt vivere cum compacte sub eodem tecto,
more tamen fraterno.

I't decreti praescriptis quis possit frui, necesse est ut simul omnes
relatae condiciones verificentur. Praeterea absolutio et admissio ad
sacramenta more laicorum conceduntur « servata speciali procedendi
forma et sub peculiaribus quibusdam cautelis el conditionibus ab Eadem
Sanctitate Sua patefactis el praescriptis »¹.

Dum in prima paragraphe agitur de excommunicatione reservata
« simpliciter S. Sedi », in secunda sermo est de excommunicatione reser-
vata Ordinario, in quam incidunt qui emisserunt vota simplicia perpetua
et praesumentes attentare matrimonium etiam civile, cum illis. Hac
censura poena irrogatur in violationem par. I^oe can. 1058, in quo votum
simplex castitatis, virginitatis etc. constituitur impedimentum impe-
diens. Matrimonium ergo in hoc casu esset validum sed illicitum, excepto
quod etiam votis simplicibus adnectatur vis invalidandi nuptias : quod
iit ex. gr. quoad vota simplicia emissa in Societate Jesu.

Tenentur hac censura religiosi professi, sive viri sive mulieres, qui
emisserunt vota simplicia perpetua. Non ergo plectuntur:

1) qui congregantur vitae communis causa et imitantur mores
religiosorum, non ligantur autem votis publicis ;

2) qui vota temporaria emittunt, statutis temporibus renovanda ;

3) qui anteponunt professioni perpetuae vota Ires annos vali-
tura (can. 571 § 1).

Tam in Ordinibus quam in Congregationibus. Ordo est commu-
nitas in qua nuncupantur vota sollemnia ; Congregatio est communitas
in qua emittuntur vota publica perpetua ve) temporaria, semper autem
simplicia, non sollemnia.

In Ordine, praeter vota sollemnia, etiam vota simplicia perpetua

¹ Decretum S. Poenit., 18 apr. 1936, In *Apollinaris*, 9 (1930) 58C.

emitti possunt: ita fit in Societate Jesu, in qua sollemniter professis, uniuntur fratres coadiutores, qui votis perpetuis simplicibus legantur; praeterea sunt quidam Ordines religiosarum, in quibus ex speciali indulto Sanctae Sedis emittuntur solum vota simplicia. Si religiosus vel religiosa fugit cum persona alterius sexus, est ipso facto ab Ordine vel Congregatione dimissus (can. 616 § 1); in censuram autem de qua in § 2 canonis quem discutimus tunc solum cadit, quando matrimonium attentat, excepto casu in quo « dimissio » ab Ordine secumferat, ut est in Societate Jesu, dispensationem a votis.

Omnes, ut supra, excommunicatio tenet latae sententiae, Ordinario reservata. — « *Omnes* » id est etiam complices, viros vel mulieres, praesumentes contrahere matrimonium, etiam civile, cum aliqua ex dictis personis. Ordinarius est in casu, Superior maior in religione clericali exempla, ad suos subditos quod attinet; Ordinarius loci pro reliquis. Ut quis censuram contrahat, requiritur etiam hic « praesumptio » ideoque plena imputabilitas.

Ad IIum. — *An Aurelius et Heriminia in censuram incurrerint.* Positis principiis fundamentalibus in explicatione canonis, facile patet quid respondendum sit duabus quaestionibus propositis.

Aurelius in excommunicationem incurrit. Ipse enim, qui voluit et patravit multis machinationibus delictum, bene omnia noverat, ut patet ex complexu circumstantiarum. Heriminia e contra in excommunicationem non incurrit, quia quando contraxit matrimonium, non noverat condicionem sacerdotalem Aurelii.

Casus refert: « Non multo post matrimonium, sponsa de tanto scelere certior facta, in nefaria cohabitatione perseveravit... ». Nec tunc Heriminia in excommunicationem incidit, quia censura contrahitur ob delictum determinatum; delictum autem, in casu, consistit, iuxta ius, in attentatione matrimonii, non in cohabitatione, etsi publica. Uniusmodi tamen cohabitatio post cognitum crimen est graviter peccaminosa.

Ad IIIum. — *Quid Aurelio et Heriminiae, nunc 40 annos plus minusue gerentibus, sit a confessorio iniungendum.*

Praetermissa quaestione de validitate Ordinationis, de qua non est ambigendum, verba casus « Aurelius ad sacerdotium importunis matris suasionibus, potius quam vera vocatione promotus » possent animum in cogitationem vertere de metu gravi, et consequenter de applicando canone 21 I « Clericus qui metu gravi coactus, Ordinem sacrum recipit... ad statum laicalem. legitime probata coactione... sententia indicis

redigatur. . . ». Demonstranda est nullitas onerum. Ad quod faciendum, procedi potest sive via administrativa sive via iudiciaria, iuxta cann. 1993-1998 et praescriptiones quas tradunt « Regulae servandae in processibus super nullitate sacrae ordinationis vel onerum » a S. Congr. Sacram, datae diebus 29 maii et 9 iunii 1931.

Competens in casu videretur S. Congregatio S. Officii, quia Sacerdos attentavit matrimonium. S. Officium certo competens est quando quis attentat matrimonium civile. In nostro casu, Aurelius attentavit matrimonium religiosum ; sed competentia S. Officii explicatur ratione delicti, et in casu delictum attentati matrimonii est. Confessarius ergo, si aliquod fundamentum sit probabilis nullitatis onerum, suggerat petitionem sanationis in radice matrimonii et, subordinate, initium processus de nullitate onerum. Quam petitionem dirigendam doceat ad S. Officium, quod, ratione competentiae, poterit illam remittere S. Congregationi Sacramentorum.

Si vero metus gravis non adfuerit, aut iuridice probari non possit, quomodo, aliter consuli potest conscientiae duorum miserorum? Si nullitas onerum non appareat, saltem solida suspicione, certo excludenda est dispensatio ab impedimento coelibatus ecclesiastici, ita ut Aurelius valeat contrahere matrimonium cum Heriminia : nam decretum S. Poenitentiarum diei 18 aprilis 1936 (quod dici potest ultimum verbum misericordiae Ecclesiae erga hos infelices) ita loquitur : « Lex sacri coelibatus inter Latinos adeo Sanctae Ecclesiae curae semper fuit atque est, ut, si agatur de sacerdotibus, fere numquam super ea retroactis temporibus dispensatum fuerit, numquam prorsus, ne in mortis quidem periculo, in praesenti disciplina dispensetur ». Si etiam haec hypothesis seponenda sit, vel ob defectum probationum, vel ob reiectionem instantiae ex parte competentis Dicasterii, solutio nullo alio modo reperienda erit quam ex praedicto decreto S. Poenitentiarum. Confessarius, post exploratam veram poenitentiam Aurelii et Heriminiae de malo commisso, imponere eis debet ut ab invicem discedant. Quod si talis separatio ipsis sit fere impossibilis (ut ex. gr. si matrimonium religiosum transcriptum sit quoad effectus civiles et alter coniugum nolit separationem legalem, vel processum canonicum nullitatis ; vel si sini lili ; etc.) confessarius promissionem utrisque imponet de conviventia deinceps, remoto scandalo, caste instituenda. Et hoc fieri potest vi relati decreti S. Poenitentiarum, quod respicit praecise conditionem eius qui « a cohabitatione-sub eodem Lecto cum suae desertionis complice, etsi forte tamen ad cor reversus, cessare impediatur ». In nostro casu, eo quod Aurelius et Heriminia circiter quadraginta annos habent, conditio

felix non esi, ob periculum ne resiliant a suo bono proposito. Utcumque, habita promissione, confessarius a S. Poenitentiaria petat, iuxta tenorem relati decreti, absolutionem ab excommunicatione de qua can. 2388 § 1, et simul admissionem ad sacramenta « more laicorum ». In petitione exponere curabit utrum adsit scandalum, et utrum possit removeri; quaenam causae impediunt aut difficilem faciant separationem (filii, etc.); an affulgeat spes fore ut pseudo-coniuges possint et velint observare conditionem vivendi « ut frater et soror ».

S. Poenitentiaria solet, ad hunc finem, antequam concedat rescriptum definitivum, imponere certum probationis tempus, confessario curam committens referendi, « salvo semper sigillo sacramentali », de probationis exitu. Ac proinde confessarius, durante hoc tempore, si possibile, super paenitentes invigilare debet. Missas vero a S. Poenitentiaria instructiones exsequendas curabit. Ipse per se, numquam a censura poterit absolvere, excepto mortis periculo (de quo hic non agitur), cum ob responsionem S. Poenitentiariae diei 1 maii 1937, excludatur etiam casus urgentior.

Pet r u s P a l a z z i n i.

<i>Prooemium</i>	Pag.
I. — De condicionibus ad censuram incurrendam ..	
II. — De causis a censura excusantibus.....	» 11-13
III. — De excommunicatione.....	19-21
IV. — De suspensionis censura	25-29
V. — De interdicto.....	” 30-36
VI. — De poenis contra communistes latis.....	» 37-50
VU. — De illicita alienatione bonorum ecclesiasticorum	” 51-56
VIII. — De delictis contra vitam.....	” 57-64
IX. — De delicto absolutionis complicitis.....	« 65-73
X. — De delicto sollicitationis relate ad «amplexum reservatum ».....	» 71-103
XI. — De vetita clericis mercatura	101-113
XII. — De poenis in attentantes matrimonium civile..	. 111-120
<i>Index</i>	» 121

FINITO DI STAMPARE IL 29 - 5 - 1956
PER l'OFFICIUM LIBRI CATHOLICI
ROMA - VIA DEL VACCARO, 5